EPICEDIA

UNIVERSITATIS

OXONIENSIS

IN

OBITUM

INVICTISSIMI HEROIS

GEORGII

DUCIS ALBEMARLIÆ, &c.

OXONII,

E Theatro SHELDONIANO.

Anno Dom. M. DC. LXX.

818

IN OBITUM
INVICTISSIMI HEROIS
GEORGII
DUCIS *ALBEMARLIÆ.*
Ad REGEM.

VEſtros ante pedes Lachrymarum Flumine largo,
Impare at Officio, ſe ſiſtit Maxime CÆSAR
Muſarum pullata Cohors: Tu Numine blando
Sæpè tuis olim tribuiſti in Carmina Vires,
Sæpè etiam & Gladiis Vires; da quæſumus ignes
In Verſus noſtros, quales Hollandica Claſſis
Olim perſenſit, cum GEORGIUS *Enſe minaci*
(Anglis dilectum nomen) magnuſque RUPERTUS,
Arcebant trepidas infida ad Littora puppes.
Has etenim Exequias, vulgari hæc Funera Pompâ
Non celebrare ſatis; non luctus prodigus imber
Sufficeret, non ſi Gemmis ſtillaret ocellus.
At Vos Defuncti Cineres, Vos parcite Manes,
Dum triſtes Elegos imoque à pectore promptos
Elicimus Queſtus: quales triſtiſſima circum

In OBITUM *Invictissimi* HEROIS

Effudit Niobe prolem, cum lachryma quævis
In duram excrevit silicem; atque immersa dolore
Diriguit propriam mœstissima Mater in Urnam.
Nec satis in gemitus nostri est angustia Pindi;
Omnibus ex æquo dolor est, dum spectat ad omnes
Heu! tanti jactura Ducis; qui Marte secundo
Imperium asseruit Patriæ, siccoque reduxit
Ense diu insano Belli Zelique furore
Anglis proscriptam Pacem, profugosque Penates.
Nec tamen optatam facilè sudoreque nullo
Pertingit metam; mille Illi & mille labores,
Dum Pacis molitur opus, Regnique futuri
Læta sub Auspiciis CAROLI *fundamina ponit,*
Continuò occurrunt; iterumque iterumque revolvit
Pectore sollicito curas; sed pervia nulli
Abdita Consilia, & tacitæ Penetralia mentis.
Quamprimum instructas acies, veteresque cohortes
(Quas ego, nec meminisse piget, victricia signa
Torrentum per cæca vada, & per inhospita saxa,
Barbariemque Poli cui frigida præsidet Arctos,
Portantes vidi haud lætus) lustrasset, & Arma
Quæ antiquas possint cædes, Fœdusque piare,
(Heu Fœdus Solenne nimis!) promptamque juventam

Selectosque

Selectoſque Duces meliora vocâſſet ad Arma,
Inſolitâ incaluit flammâ, nova lumina ſparſit
Sydus Hyperboreum, mediiſque emerſit ab undis
Albion, atque ſuos juſſit gaudere Britannos.
At tardè MONACHUS, *prudens Cunctator, ovante*
Milite Caſtra movet: ſtupuit gens tota Britanna,
Conſilium mirata Ducis; tacitoſque receſſus
Mentis, Cromwelli *explorat vanâ arte Senatus.*
Cædibus interea Procerum, Regiſque cruore
Fœdatas acies ſacro, Lambertus *ad arma*
Provocat, inque ſuas Catharorum Pulpita rauca,
(Pulpita civilis non ultima Cauſa furoris;)
Pelliciens partes, & multo Milite fiſus,
Se noſtri opponit Fabii novus Hannibal Armis:
Non tamen aggreditur MONACHUM, *qui Cæſaris inſtar*
Aſpicit & vincit; dubio ſed tramite Caſtra
Huc illuc que movet; donec ſpe laſſus inani
Non rarus MONACHI *confugit ad agmina Miles.*
Hunc bis nolenti bellum tentâſſe Gradivo
Succeſſus docuit; ſucceſſus, Numinis inſtar,
Templa cui multaſque Aras poſuêre Rebelles:
At nunc contemnunt Numen, neglectaque ſordent
Templa Illi, & nullo fumant Altaria Thure.

Cromwelli *extemplo Proceres, fungosa propago,*
Quos vulgi sentina dabat Lernæque paludes,
Clam se subducunt, nec fidunt amplius Armis:
Omnia respondent Voto, à tergoque relicto
Lamberto, *Cœpti jam spes augustior Illi*
Emicat; atque omnes dispellit pectore nubes.
Utitur Hic Fatis; & jam non milite tardo
Advolat, atque Aquilas victrices admovet Urbi.
Hunc contra objiciunt Portas, sed Numine nullo,
Consiliis dubii Cives: meminisse Sinona
Credibile est illos, Veterisque Incendia Trojæ.
Fallitur Urbs, fallique juvat; decepta recepit
Palladium Nova Troja suum: subitosque Triumphos
Statori MONACHO, *& lætos indicit honores.*
Hos inter plausus, infamis Cauda Senatus
(Exosum Fastis nomen) qui jura popello
Per tria Lustra dabat, trepidans evanuit auras
In tenues plaudente Polo: Satrapasque minutos
Secretò exagitat violati Sensus honoris.
Hic figas mea Musa pedem, nec vana Triumphos
Funeribus misceto piis; Festamque referre
Lucem (Lux niveo signanda est ista lapillo,)
Quam nobis Astræa redux CAROLUS *quæ dedere,*

Carmine

Carmine ne tentes: quamquam hæc quæ Gaudia nobis
Indulsit, nostri sunt incrementa doloris.
Quis quos pace tulit dignè, Belloque labores
Quis dignè celebret, quos exantlavit anhelans
Consiliis & Marte potens? heu! talia nostram
Emeritam superant Musam; cui Prælia rursus
(At Marte adverso) intentat fanatica Turba:
Turba gravis Musis, Sceptrisque inimica Britannis.
Macte, ito Dilecte Deis: terrâque relictâ,
Quam juvit vicisse, Tuo caput insere Cælo.
Cœlestes Tibi sponte Fores, Tibi sponte Tonantis
Atria celsa patent summi; Cœlique Quirites
Expectant avidi longè, spectantque Triumphos.
Te Lindsæus *ovans, Te* Northamptonius, *& Te*
Greinvillus *pars magna Tui: turmæque frequentes*
Heroum, CAROLI *qui olim vexilla sequuti,*
Cœlestes augent, gaudentque augere Maniplos,
Excipiunt læti socium: multaque Coronâ,
Et multâ viridi cingunt Tibi tempora Lauro.
Tu mole exutus carnis, Cœloque triumphans
Aspicias placidè terras, radiisque benignis
Oxonidas foveas: sic non nos impia turba
Opprimet, aut rursus ponet ludibria Fato.

In OBITUM *Invictissimi* HEROIS

Nos Tibi non Tumuli fastum, pompamve Sepulchri
Ponimus; Heroum Virtus & Marmor & Urna est.
Nos cineres pia turba Tuos, nos Carmine tantùm
Placamus Manes, & sacras ponimus Aras
Victori Genio, nostri monumenta doloris:
Attamen haud nobis series ventura Nepotum
Vertat in opprobrium parci compendia Luctus.
Spicula deponas tandem Mors sæva; frequentes
Heu nimis à nobis gaudes retulisse Triumphos:
Hîc precor hîc nostri sit Luctûs Ultima Thule.

P: MEWS LL. D.

Coll: D: Jo: Bapt: Præses,

et

UNIVERSIT: VICE-CAN.

GEORGII Ducis ALBEMARLIÆ.

OCcidis sêcli Decus immerentis,
Occidis sacro solitus furore
Sternere hostilem rabiem, & fugare
Fulmine Vocis.
Talis in Suecis rutilavit Arvis
Grande Gustavus superûm Flagellum,
Talis armatas poterat vel absens
Fundere Turmas.
MONKIUS major monumenta Famæ
Haud stylo Ferri velit exarare,
MONKIUS siccos dedit atque inemptâ
Pace Triumphos.
Hoc Tuum est, MONKI, quod Avita detur
Sceptra regnantesque videre musas,
Hoc, quod intertexta sacræ viresçit
Laurus Olivæ.
Ista mortali celebrare Cantu
Quam piget, dum Te superi calescunt,
Musicisque altè modulanda sphæris
Carmina pangunt.

Altham Annesley
Honor. Comit. de Anglesey fil. sec.
è Coll. Magd.

AUgusta ad Sacra siquis Hospes adsis,
(Si Tantæ potes hospes esse Famæ)
Ah! ne sterne Rosam, & leves Corollas,
Nec multâ Lachrymâ, nec indecoris
Tantum Fletibus obruas sepulchrum:
Laurus spargito, Civicasque Quercus,
Laurus mille Tuis sacrentur urnis,
MONKI maxime, millieſque mille

In OBITUM Invictissimi HEROIS

Quercus, qui poteras Tuis Britannis
Pacem tam facilis dare incruentam.
Servatus Tibi Civium vel unus
Mille æquaverit Hostium Triumphos.
En Quanti exuvias Ducis verendas!
MONKUS Præsidium est ruentis Orbis:
Qui ridens Olivariana sæcla,
Per tot spes dubias, metusque acutos,
Nos nobis dederit; sibi, suisque
Reddens Caroliden, & innocentes
Absolvens superos. Suum at maligni
Cœli Depositum, suum reclamant,
Et justis nimium, nimisque avaris
MONKUS poscitur Inquilinus astris;
Quo nil dulcius, heu! benigniusve
Aut possent Superi, aut velint Britanni.

Rich. Annesley
Honor. Comit. de Anglesey fil. ter.
è Coll. Magd.

ANglia, Magne, suis debet rediviva ruinis,
Quod fœdo & tristi nascitur ordo Chao;
Quippe Tuo Antidotus pro vulnere quæritur ense,
Fersque cicatricis sanguine tactus opem:
Dura Tibi debent, pateris quod justa fuisse
Fata, scelus redimens nobiliore fide;
Enthea sic sacris matrona furoribus acta,
Auspicia è rabie reddere læta solet.
Fuso alii victricem aquilam dum sanguine pacent,
Vestra vel in spoliis, Cæsaris ales erat;
Nil magnum præstat fuerit qui fidus amicis,
Plus facit hic, quisquis fidus & hostis erit.
Obsequii didicit Duce Te Victoria nomen,
Justitiæque bilanx esse vel hasta velit;

Nempe

Nempe Tibi potius sceptrum tenuisse videris,
Dum possis CAROLO subditus esse Tuo.
Et quæ terra potest Tibi reddere præmia? cœlum
Solum habuit tanto digna Trophæa Duce:
Illinc dum CAROLUM moderantem despicis orbi,
Te doceat plausu, quantus es, ille Chorus.

Bluettus Stonehouse Baronettus
A. M. ex Æde Christi.

MAusolæa licet Pietas jam Regia condat,
Non nisi cum regnis interitura suis;
Non magis æternum, Dux Maxime, marmora nomen,
Quam defensa dabunt & data sceptra, Tibi.
Læta suas clades & damna ostentat Ierne,
Quod dederint Tanto Bina Trophæa Duci.
Victori quamvis Tibi serviit ultima Thule,
Quam procul à palmis est ea meta Tuis.
Littora Te resonant concussa Tonante, fragore
Quæque diu crebri fulminis unda tremet.
Oceanus Tibi plaudit ovans, quod subdita cernit
Non nisi Regali jam sua colla jugo.
Extinctusque Anglis semper celebrabere, gaudent
Dum vel pace Tuâ, vel nova bella gerent.
Tuque sacros Cineres defendes Petre, Coronam
Dum servant, reducem Templa coluntque Deum.

Jo. Cullen Baronettus
ex Æde Christi.

In OBITUM Invictissimi HEROIS

REgis certa salus, Gentis Decus, Hostis & ingens
Terror, Spes Populi, (est hinc dolor iste) vale.
Proh fatum! infelix modo tota Britannia flevit
Mortem mœsta Tuam; nunc timet Illa suam.
Sic olim miseri lachrymarum flumine Persæ
Solverunt Gemitus, Sole cadente, suos.

Radolphus Ashton Baronettus
A. M. è Coll. Æn. Nasi.

VLtimus urgeret cum magni lumina MONKI,
Lumina vix alii cedere sueta, sopor;
Dimittit votisque piis monitisque supremis
Adstantem Patriæ, seu Pater ipse, Patrem:
Præcipuè hortatus, Temploque Aulâque fugaret
Obscœnas nimiæ Relligionis aves.
Firmas, Magne, Tuæ linguâ miracula dextræ,
Et moriens, totus ne moriare caves.
Dumque piæ damnas larvæ consortia, spondes
Pars ingens cujus mox eris ipse Chori.

Joannes Floyd Baronettus
A. M. è Coll. Jesu.

BEllica in Hoc Virtus simul & Prudentia raram
Misturam fecêre; ac Marti Palladis arte
Conjunctâ Patriam & Londini ceperat urbem
Fraude salutiferâ, & falli gaudebat ab Ipso;
Utraque servata est neutrâ sperante salutem:
Rex cum Lege, sacer cultus cum Pace reductus.
Bello, Pace, Mari, Terrâ, Dux inclytus exit,
Dignum laude mori prohibet Quem fama, magisque
Spes melior, tantùm mortalis desiit esse;
Sub Duce Supremo vincet post cætera mortem.

Rob. Newlin S. T. P.
C. C. C. Præs.

GEORGII Ducis ALBEMARLIÆ.

GRadivus Anglus, pacis & belli arbiter,
Ubique felix pariter, & genti & ſibi,
Terris receptis & triumphato mari,
Qui vicit armis militem, ſanctos dolis;
Quo nullus unquam geſſerat felicius,
Meliuſve poſuit arma; quo primum duce
Ferox Ierne nil venenatum refert,
Luſtrata belli ſulphure, & flammis ſuis:
Per quem cruentas reddidit tandem vices
Licitata ſacrum CAROLI pretio caput
Oppreſſa Pictis terra non ſemel ſuis
Caledonia, zeli ignibus ſolvens nives,
Omnemque diro fœdere abjurans fidem:
Quo perduellis auſpice infandum nefas
Exoſus Anglus flexerat retro pedem,
Didicitque ſanctum Principis ſceptrum pati;
Compoſitus altâ pace quam genti dedit,
Mortalitati ceſſit ALBEMARLIUS.

Fœtum triumphis nomen, & famæ tubam
Implere certans, ora ſi mille explicet,
Aut ſulphuratæ nubibus flammæ tonet.

Mens templa cœli ſcandit, & poſcit ſibi
Pretium laboris templa qui dederat Deo,
Pepulitque turpes inde nummularios,
Ipſas profanis eximens aras focis.

Quin & ſepulchris conditur Regum cinis,
Et fixa ſummis arma dependent tholis;
Par imperanti Regibus ſervans fidem:
Sacrumque vivus Principum claudens latus,
Defunctus illis proximus buſto jacet.

JO. FELL S.T.P.
Eccleſiæ Chriſti Decanus.

In OBITUM Invictiſſimi HEROIS

INvida mors, Heros, vitam tibi denegat, olim
Cujus ad arbitrium vitaque morſque fuit;
At nunc gratandum eſt nobis (ſi rite dolemus)
Quod paribus merito ſic potiare bonis.
Suſpicimus factam at Te celſo in vortice ſtellam,
Maxima quod populo damna minatur huïc.
Arbiter ipſe diu belli paciſque fuiſti,
Et columen patriæ conſiliumque Tuæ:
Cujus Iber, Batavus, Gallus, Scotus, Anglus, Iërnus
Laudavêre fidem, vel tremuêre manum.
A Gente hâc viduâ tamen ut Deus omina vertat,
O placent manes thura Britanna Tuos!

H. Savage S. T. P.
Coll. Ball. Magiſter.

GAudete quotquot ingemiſcitis rebus
CAROLI ſecundis, democraticæ fœces;
Tenebrionum perduellium cœtus,
Et hypocritarum ſancta turba Latronum:
Quotquot togamque purpuramque calcatis
Gaudete, fas eſt vetera ſcelera moliri.
Stator cadentis patriæ, & ſacer gentis
Vindex Britannæ, CAROLIque ſervator,
Telluris ingens fulmen, & tremor Ponti,
Rupeſque Belgis certa; Cujus ad nomen
Hibernus acer horret, & memor Scotus:
Qui turpe monſtrum mortibuſque fœcundam
Hydram ſenatûs incruentus Alcides
Terrore domuit, purpuramque pollutam
A plebe rapuit; quique Principi ſceptrum,
Laſſæ quietem Patriæ, otium ferro,
Foroque leges reddidit, decus ſacris,
Tutela regum civiumque MONKÆUS,

Malis

Malis tremendus omnibus, bonis charus,
Generoſi honeſti cultor, & tenax juſti,
Victoriarum plenus, & ſatur famæ,
Poſt tot triumphos, gloriæ impari mundo,
Terris relictis addidit polo civem.
At vos Britanni quotquot uſpiam veri
Pacem fidemque colitis, & quibus juſtum,
Relligio, Pietas, jura, CAROLUS cordi,
Togatus unà cœtus & paludatus,
Et turba Procerum civiumque confuſa
Miſcete planctus, horridoque lamento
Miſerabilique cuncta perſonent luctu;
Iſto Britanna conditur ſalus buſto:
Dixit Parentem Patria, CAROLUS Patrem.

Rich. Alleſtree
Eccl. Cath. Chriſti Canonic. &
S. S. Theol. Profeſſor Regius.

QUod pia ſecuro ducamus funera luctu,
Et rapti Herois fata dolere vacat;
Quod non civili perfunditur Inſula tabo,
Nec captiva ſuas clauditur inter aquas;
Sacra domus CAROLI quod gratâ pace fruatur,
Atque ſuo poſſit tuta carere Duce:
Hoc MONKÆE Tibi geſtit gens Angla referre
Acceptum, agnoſcens muneris eſſe tui.
Sic Patriæ famæque datum ſatis; omnibus illa
Quam dederas populis Te manet alma quies.
Unicus & ſupereſt labor hic poſt mille labores
Ut poſſis vitam claudere morte pari;
Quinetiam annuerant votis pia Numina juſtis,
Et ducunt facili candida fila manu.
Non curſum abſolvit virtus felicius unquam,
Clauſerat aut nitidam blandior hora diem.

Fida suo fortuna Duci, sufflamine certo
Suspendit rapidam conscia Diva rotam.
Neve optanda minus supremæ gloria lucis,
Quam tituli quos Pax vel fera bella dabant.
Cui toties Mavors terrâque marique pepercit,
Nec nocuit tetri sævior aura Poli,
Pacatâ occumbit Patriâ, quæ sola manebant
Pulchra triumphatâ Morte trophæa ferens.
Ic quæ celsa caput longè inter nubila Quercus
Condiderat, ruris gloria prima sui,
Sacra Jovi CAROLOque arbor, quam turbine multo
Frustra importuni perculit ira Noti,
Nudato tandem protendit brachia trunco,
Et malè deciduis stat viduata comis:
Usque tamen colitur, pereunti gloria crescit,
Et novus effœto stipite surgit honos.

Tho. Lamplugh S. T. P.
Aulæ Albanæ Principalis.

CUM rapiat de plebe aliquem mors, forte superstes
Infelix conjux jam viduata viro,
Filius & mœrens, atque unus fidus amicus,
Obscuri celebrant funera parva senis.
Sed proceres quoties in publica commoda natos
Iratus repetit, qui dedit ipse, Deus;
Solvitur in fletum populus, quasi funere in uno
Vel gentis clades illacrymanda foret.
Sic Danai Æaciden, sic Pergamus Hectora flebat,
Sic deflet MONACHUM terra Britanna suum.
Quicunque est CAROLI, patriæ, vel pacis amator,
Qui sacras leges, templaque sacra velit:
Qui violata semel, semel hæc & reddita vidit,
Ablatum nobis, qui dedit ista, dolet.
Hostibus id solis Regis regnique licebit,
Exequiis gemitum posse negare Tuis:

Per

Per quem non iſtis licuit ſævire tyrannis,
Et diras populi tingere cæde manus.
Ipſe erat Alcides Anglus, qui contudit Hydram,
Cui gens pro præda vix ſatis ampla fuit:
Multorum capitum monſtrum caudâque tremendum,
Quæ truncata licet pullulat uſque nova.
Hunc nos Te GEORGI jam conculcaſſe draconem
Vidimus, accepit fabula priſca fidem.
Fortior his geſtis atque Hercule dignior aſtris,
Cappadoce & ſancto ſanctior Anglus eras.
His cœlum meritis debetur: nemo beata
Te meliore poteſt jure tenere loca.
Illic contingat quamvis Tibi vita perennis,
In terris querimur fata dediſſe brevem.
Quod cecidit gentis decus & tutela Britannæ,
Quo potuit ſalvo nulla timere mala;
Conſiliis patriam qui tutabatur & armis,
In quem nil vires, nil valuere doli:
Hoc nos deflemus: nam nobis gloria dempta eſt,
Cum non marceſcens laurea parta ſibi;
Sed quæ fata illi (nobis damnoſa) negarunt,
Æterna in terris tempora fama dabit.

Tho. James S. T. P.

Coll. Om. An. Cuſtos.

QUâ tandem pietate tuas, Dux Inclyte, triſtes
Exequias celebrem? Natales dicere fas eſt.
Mortuus? At vivus Gradivus Virbius Heros
Audis æternum, redimitus tempora lauro
Sacra Triumphali, cujus Victoria currum
Et claſſes alis fixis captiva ſequuta eſt.

Nondum erat in Titulos & ſeſquipedalia verba
Gens ſurgens, humili cœlo contenta ſoloque;
(Sic & Coralium, quo primum contigit auras
Tempore dureſcit; mollis fuit herba ſub undis,)
Quæ ſale piſciculos conditos pertulit Anglis;
Et maris imperium vaſto concepit hiatu,
Quod CAROLI Fatis deberi noverat Orbis.
Hinc furor Amphibiis, Si claudant oſtia Rheni;
Hinc Bellum, Virtus, Dolus, Ars, Sors, omnia miſcent.
Unda dabat flammas, Hoſtis Prætoria navis
Ardet in Oceano, neque Dux eſt fœmina facti,
Sed frater CAROLI, Martis genuinus Alumnus.
Jam Rude donato non deficit alter Achilles;
Unda dabat flammas iterum, duo fulmina belli
Diviſo imperio præſunt (ſi dividit hoſtis,
Imperat) & Martis dubiâ concurritur horâ:
Vela dabant retrò naves; non terga dederunt,
Sed ſimulando fugam tutam, quarum agmina cogit
MONKUS, & è pugnæ ſtatione noviſſimus exit:
Inſtauratque redux animos cum Caſtore Pollux,
Et Terrâ & Ponto fortiſſimus incola Rheni:
Sic fugit, & quærit notas inimicus arenas.
Majus Pacis opus dare, quàm retinere Coronam,
Deliciis Populi Solium dum reddit Avitum.
Sic cadit ante diem morbo comitante labores
Victor, & invictis moriens Hydropicus Undis.

Johan. Lamphire A. C. Princip. M.D.

& Profeſſor Hiſt. Camdenianus.

Confectam

COnfectam lachrymis multoque cruore madentem,
Qui potuit patriam ſic recreare ſuam,
Ut luſtrata novos poſſet ſperare triumphos,
Fauſtaque per lætos ſolvere vota dies;
Fatales nunc Ille vices æquamque rependit
Mœſtitiam, & luctus dat moriendo pares.
Nulla dies Anglis illuxit fædior ex quo
Tartareâ cervix regia cæſa manu eſt.
Cromwellum credas pulſoſque redire Tyrannos,
Uſque adeo totis jam trepidatur agris.
Ipſi etiam plangunt cives; lucrique forique
Immemores, primùm nunc ſine fraude dolent.
Nec ſincera minus ducunt ſuſpiria, quam ſi
Vaſtaret medias flamma luesque domos.
(Nempe Illo vincente reſarciit unda ruinas
Ignis, & in peſtem Palladium Ipſe fuit;)
Sed nunc ſchiſmaticis odiis, Batavoque furori
Fræna, aut ſufflamen quis tibi Galle dabit?
Rex quoque qui nimis ah! jam pullâ veſte ſeneſcit,
Privato luctu publica damna luens,
Quamvis jure ſuo, & populi ſtipatus amore,
His nequit, amiſſo qui dedit, Ipſe frui.
Præluſum eſt ſolum damno huic moriente MARIA,
Et majus funus pompa minoris erat:
Nam peperiſſe minùs quam reſtituiſſe videtur;
Principis Hæc, patriæ ſed fuit Ille parens.
Inclyte Dux, Rege & Regno ſublimior omni,
Quæ nolles vivus ſceptra, ſepultus habe:
Elige (namque Tibi turbâ cedetur ab omni)
Cui Regum tumulo proximus eſſe velis.
Quæ Te cunque manet tellus, non ſufficit; orbis
Te quamvis ſtupeat, non tamen Ipſe capit.

Nath. Alſop Proc. ſen.
& Coll. Æn. Naſ. ſoc.

In OBITUM Invictiſſimi HEROIS

ULtoris Bruti longo ſi funera luctu
Ploravit ſparſis ſquallida Roma comis;
Anglia da lachrymas, cecidit tibi verior ultor,
In luctus annus nec ſatis unus erit.
Regem ille expulerat; dirum expulit ille Senatum,
Multus & in vili plebe Tyrannus erat.
Tarquinii exilio quæris tibi Brute ſecures,
In patriam pietas ambitioſa tua eſt.
Noſtrum ſacra Ducem tenuit reverentia ſceptri;
Qui velit imperio cedere rarus erit.
At vindex MONKÆE cadis; mœſta Anglia planctus
Miſcet, & aſſiduis fletibus ora rigat.
CAROLUS ipſe ſacro condit tibi pectore buſtum,
Gemmeaque ex oculis lachryma multa cadit.
I nunc & Carium jacta Mauſole ſepulchrum,
MONKÆUS tumulo nobiliore jacet.

Fac. Davenant Acad. Proc. jun.
& Coll. Oriel. Soc.

QUi mare, qui nuper replebat nomine terras,
(Et fama arctato limite clauſa nimis,)
Illius eſt reliquum jam nil niſi pulvis & umbra,
Et Magnos manes Urnula parva capit.
Parte tamen meliore viget, creſcitque ſuperſtes
Æternâ famâ, Regis amore, Fide.
Hæc falci ſubrepta tuæ, Libitina, reſurgunt,
Palmaque Cupreſſum non ſubitura tuam eſt.
Non modò Fulminibus laurus non tacta virebit,
Sed telo invidiæ vel graviore Jovis.
Orbe triumphato, famæ maturus & ævi,
Nunc aliis requiem quam dedit Ipſe capit.
Emenſo Stadium, functoque laboribus olim
Sic pater Alcidæ ſydera jure dabat.

Bapt. Levins A. M.
Coll. Magd. Soc.

CUm sibi cognatum Cromwellius iverat Orcum,
Spes erat huic tandem non superesse scelus.
At crescunt plures Hydræ; Titania proles
Usque suum exilio damnat inulta Jovem.
Defuit Alcides qui monstra hæc pelleret antris,
Semiviroque boves, semiboveque viros:
Ausus erat MONKUS, qui & præstitit ausa; nec ultrà
Sustinuit CAROLO dissimulare fidem:
Quin conjuratos in fasces subjugat hostes,
Reddidit & Nato regna negata Patri.
Dedocuit Scotos licitari Sceptra rebelles,
Atque Anglos Regum posse vacare neci.
Nec minùs amphibios repetitâ strage Batavos
Dedocuit nostro pandere vela Mari.
Tandem ubi nil CAROLO vidit superesse domandum,
Quod potuêre foris Belga, Britóve domi;
Mors vocat Emeritum, quò post prælia tantæ
Debita virtuti præmia pace petat.
Hactenus infractum bello fatisque tremendum
Addidit imperio nunc Libitina suo.
Non cecidit dubii per bellica fulgura Martis:
(Jupiter à proprio fulmine tutus erat;)
Nec pelago interiit: risit ludibria Ponti,
Atque procellosi cætula regna freti.
Scilicet haud potuit MONKUS dominator aquarum,
Sæpè triumphato præda subesse Mari.
At terrâ ac undis cùm eluserat omnia fati
Portenta, Herculeâ digna perire manu;
Corripit Hunc tandem gelidis amplexibus Hydrops,
Obruiturque suis naufragus Æger aquis.

Thom. Clifford Eq. Aur. fil. nat. Max.
Coll. Reg. Socio-Commens.

In OBITUM *Invictissimi* HEROIS

QUàm lætus fuit ille dies, quo MONKIUS Heros
Cœpit ab Arctoi parte micare poli!
Ipse Magus sequitur Stellam, Mens ipsa prævit,
Tàm Regem ostendens quàm sibi luce Deum.
Cúmque Caledonias hostis jam stabat ad Oras,
Cunctando Martem sola Minerva fugat.
Sic Fabius solitus cunctando vincere Pœnum,
Et tutus Clypeis, Ense ferire negat.
Hannibal Hic scopulos, & cautes solvit aceto,
Diluit & gelidas mollior unda Nives.
At Pœnum Capuæ liquefecit Solibus Æstas,
Quàm Cannis uti maluit ille frui.
Dux noster superat Baias, Camposque Britannos,
Dulcia nec poterat toxica Iërna dare.
Æstuat Oceani compressus carcere Typhis,
Et laxat Mundos mens sibi celsa novos.
Argo implet lævam, Dextramque Orionis Ensis,
Nec multo Batavos proteget ungue Leo.

Alex. Pudsey A. M.
Coll. Magd. Soc.

EN qualis perculsam incedit Pompa per Urbem!
Ecce ubi ferali effertur Victoria curru!
En quanto fastu celsi ad Capitolia Petri
Illustrem ducit Mors invidiosa triumphum!
Funestis spoliis non illa superbior, olim
Cum grassata Lues, aut cum vincente cadebant
Sub MONACHO Infernis Batavorum millia regnis.
Non Dux ista dabas populo spectacula, Regem
Cum reducem cupidæ prospectavêre fenestræ.
Quem soliti hospitibus cives monstrare superbi
Nunc aversantur primùm, fugiuntque videre
Offusi lachrymis oculi; spectare parati

Abscondunt

Abſcondunt vultus, ſumptum exequiaſque perire
Permittunt; paucis conſpectum triſte Feretrum,
Damnatæque Anglis inviſa frequentia lucis.
Quam mallent Peſtem, & convecta cadavera Plauſtris!
Quam mallent meliùs deſertos cernere vicos!
Dum tamen ingratæ tranſibunt tædia ſcenæ,
Ingentem geminant Defuncti Encomia luctum:
Tympana non lituique ſonant ſoli, omnia replet
Ora, Ducemque ſuum vel Laudum Exercitus ornat.
Quodque licèt pateat centena in lumina Tectum,
Innumerus ſpectator habet quæ propria narret.
Prima Rudimenta, & Gallos Belgaſque loquuntur
Tentatos Juveni; Laurus dicuntur Hibernæ;
Utque impacatam primus frænaveris Arcton.
Civiles memorant Furias, crudoſque Tyrannos,
Anglorum ſcelera, in Veſtrum facientia Nomen:
Acta Tibi diræ gratantur crimina Gentis,
Dignus ut everſo poſſes ſuccurere sêclo.
Tu ſolus dominantem auſus contemnere Peſtem,
Haud Hoſtem Juſtam, & ſpargentem tincta veneno
Spicula; mille licèt cunctas morerentur in horas,
Commiſſaſque acies vidiſſes ſtrage minori,
Stas contra; veluti Batavis, non cedere certus.
Vaſtatrix ceſſit Tibi nupera flamma; ſuperſtes
Londinum quanto hæc optaret fata redempta!
Illà ſuos mallet cineres. Te Navita primùm
Omnes ante fremens mœret, Terramque nocentem
Devovet, & laudat ſecura pericula Ponti;
Hinc reducem toties Heroa, fidemque Profundi.
Attonitæ turbæ quæ dicit fulmina? Belgas
Ter marte horrendo domitos, ipſumque timentem
Neptunum æquoream Sortem ceſſiſſe Tonanti.
Quo Te fama loco neſcit? quove ordine rerum
Ignotus, Cui Terra dabat Cuique Æquora Palmas?

Firmior haud ventos tempestatesque lacessit
Et Sylvæ & Pelagi communis gloria, Quercus.
Prosequitur populus memori sic funera fletu;
Quisque novos Titulos, & mille Trophæa recenset,
Partitique virum celebrant. sic dividit Arma
Sacrandas Pompa exuvias; hic Cassida portat,
Fulmineo Gladio aut Loricâ nobilis alter,
Et diversa implent cunctas Gestamina dextras.
Sed longè ante alios sacro sub pectore curæ
Affligunt CAROLUM, regnatque in principe vultu
Luctus, & hoc quicquid reliquos dolet opprimit Unum:
Vix durat cineri supremùm absistere, tandem
Dimittit multo gemitu, appellatque parentem,
Et Divis commendat Avis: Illum ultima Regum
Aula capit, Comitemque intra sua marmora condit;
Consurgitque novâ Templum sacratius Urnâ.
At Thamesis Tumulum qui præterlabere, patrem
Nuncius Oceanum quâ tempestate ciebis?
Quas turbas dabit iste dolor? Victricibus Umbris
Mœsta parentabit Batavorum funere Tethys;
Et luet extinctum Gallorum naufraga classis:
Ex alto æquorei ducent suspiria venti,
Et lugubre gement ad conscia littora fluctus.

Jac. Lane ex Æde Christi Art. Bac.
Equ. & Baronetti fil. nat. Max.

IN terris victor, victor MONKÆUS in undis,
Mergitur Oceano naufragus Ipse Suo.
Tolluntur latè tumefacto pectore fluctus,
Et natat in medio mors violenta sinu.
Fallimur; æternas sitiens Hydropicus undas,
Ad Vitæ fontes per Mare Mortis abit.

Hic

Illic felici requies æterna carinæ;
Illic nectareus Proluit ora latex.
Magna triumphati Fama eſt & Gloria Ponti;
At melior propriis Palma refertur aquis.

Joh. Clarke Equit. Aurati fil. nat. max.
A. B. & Super. Ord. Commenſ.
ex Æde Chriſti.

HEroum multi ferro cecidere perempti,
Et fato fruiti ſic voluêre mori:
At Tu vixiſti MONACHI ſecurus in armis,
Fruſtra, qui latuit fortior hoſtis erat.
Quod mare non potuit, quod non maris incola Belga,
Ingratæ & paucæ vos potuiſtis aquæ.
Sic ſol occiduus mediis denaſcitur undis,
Et novus ad ſuperos per mare carpit iter.

Edvardus Baſh Militis de Balneo
filius unic. Coll. D. Jo. Bapt.
Gen. Comm.

IMproba degeneri ſævis Libitina Triumpho,
Principis auſa novo funere fata ſequi.
Non CAROLO ſatis eſt charum cecidiſſe Parentem,
Ni, quo Rex iterum natus, & Ille cadat?
Quanta licet ſis cunque Beata MARIA, negari
Pompa vel exequiis debuit illa Tuis.
Morte Tuâ nimium jam Fati ſenſimus iram,
Nec caruit triſti hac ambitione dolor;
Siccine nec cœlo ſatis eſt Tibi Diva potiri,
In Regnum hoc reditûs ni comes Ille Tui?

In OBITUM Invictissimi HEROIS

Audaces Parcæ! quid enim licuisse putâstis
Frustratas toties imposuisse manus?
Delituit bello cur vestra potentia, ferro
Cessit ubi quævis Mortis Imago Ducis?
Quod genus hoc pugnæ, tardæ irrepsisse senectæ,
Aut superâsse, ubi mors ipsa triumphus erit?

Dant Tibi, magne, novas felicia funera Palmas;
Nec moritur, condit quem Carolina manus.
Electrum marmorque alii, monumentaque Regum
Exoptent, tumulum vel Cleopatra tuum;
Nec Tibi mors poterat plus his præstare, recondi
Si non in CAROLI Pectore majus erat.

En tua Londinum genio hoc quasi territa pestis,
(Sive armis Miles, seu pietate Tuus;)
Victor utrinque tamen MONACHUS, velut omnia vitæ
Appendit gladio Jura necisque suo.

Frustra iram caudâ stimulas Leo Belgice, Galli
Sollicitasque nimis vana minantis opem,
Nescit vel numero Magnus submittere vela,
Vel (solo poterat quo minor esse) dolo;
Ut sylvis olim steterat, stat Quercus in undis
Regia, radices figere visa novas,
Neptunique Jovisque ita lassat Fulmina, lauros
Ut credas fieri, quas meruêre, rates.
Quippe Tua est virtus quæ nulli cedere Fato,
Nec fluere instabilis, Magne, docetur aquâ
Non animo fuerat, fuerat licet æstus in undâ
Virtuti portus nescit abesse Tuæ.
Sed malè miramur quem Civem postulat æther,
Nostraque jactamus Nomine damna Tuo;
Et gemitu plorare tuis Virtutibus impar,
Debuerit pro quo fortior esse, dolor:

Invictus,

GEORGII Ducis ALBEMARLIÆ.

Invictus, Sapiens; nimis arcta hæc nomina Famæ:
Se monumentum offert Patria tota Tibi.

Qui luctûs ſolenne vides, mortiſque Theatrum,
Et pullata ornat quem Libitina torum,
Siſte pedem hic, caſumque pius miſerere Viator
Humanum, fuerit cui ſua Pompa dolor.

Benj. Woodroffe A. M.
ex Æde Chriſti.

QUid loquar? Attonitæ ſileant, Dux inclyte, Muſæ,
Et taceat metricis fuſa querela modis.
Non ſatis in luctus ſunt carmina: flumina ſolvat
Qui Tua pro meritis fata dolenda putat.
Induit atratas en! mœſta Britannia veſtes,
Inſula & à lachrymis fit nova tincta ſuis.
Victorem toties plangunt nunc æquora victum;
Funditur in lachrymas guttula quæque maris.
Rugiat Oceanus, venti ſuſpiria tollant
In cœlos, vaſto turbine ploret aqua.
Eſt dolor at noſter pelago commotior ipſo;
Eſt ſimul & pelago falſior iſte dolor.
Vincere Quem bellum, Quem vincere nulla poteſtas
Noverat, occulto victus ab hoſte jacet.
Securo inſidias ſtruxit mors perfida, inermem
Morborum invaſit conglomerata manus.
Scilicet hunc tandem metuerunt Fata, per omnes
Mortes qui toties tutus ubique fuit.
At non invitum triplices rapuere ſorores;
Ipſe ſed emeritus projicit arma libens:
Exiit è vitâ, placuit ſuccumbere fatis;
Quam timuit nunquam ſeligit Ipſe necem.
Cœlis maturus voluit conſcendere cœlos,
Cum nihil in terris, quod magis opter, habet.

G. Gooddall A. M.
Coll. Exon. Socius.

In OBITUM *Invictiſſimi* HEROIS

قصیدهٔ بر وفات یافتن اعتماد دولت
سلطانم جیورجیوس مونک سپهسالار
ملک انکلیزی و تخت پادشاه برانکیزی

ستارهٔ بود در شمال رونده
شعاعش تا بجنوب رخشنده
ز دشمنان شاه لرزه کرفتند
پر باک و سهم از روی او کرفتند
ولیکن دوستان شادمانی کردند
از دیدن او نیک اختر بردند
پادشاه ما بر تختش نشاند
خاک بر سر دشمنانش افشاند
چنان کرد بی خون ریختن و کارزار
وبی غوغا و جنک مردم آزار
اکنون آه مردکان اندر رفته
خورشید ما از تاریکی کرفته
نیروی زمین ما شد روان
کم شد ستون امید همکنان
ور رفته است عزیز یاد بهره مند
بماند نزد ما نام ارجمند

Thomas Hyde *A. M. & Coll. Reginæ,*

et Protobibliothecarius Bodlejanus.

NOn moritur, Lusus fati est, Fallacia mortis:
Ille mori nequiit Cui tanta est Fama superstes.
Hic terras fugiens, inter fulgentia splendet
Sydera, & in sphæris orta est discordia, tantæ
Quæ sedes propria est Stellæ, mœstisque stuporem
Intulit Astronomis, artisque ænigmata ridet.
Jam gratis animis liceat revocare dolores,
Quos miseræ Genti imposuit variata tyrannis.
Exilium est Regi, populo confusio toti,
Diruta sacrilegâ jacuerunt templa rapinâ.
At tanti virtute Ducis jam vidimus ortam
Post tenebras Lucem, sævi fugêre Tyranni.
Restituit sceptrum CAROLO, solamina Clero
Depresso, pacem populo, sic gaudia genti.
Non sit ad invidiam felix Devonia vitam
Quòd dedit, & primas Cunas sub sydere fausto.
Noluit Ille mori, à sellâ translatus ad astra
Deposuit Cineres æterno Marmore dignos.
Spiritus in Cœlis, sed Fama Annalibus ævum
Perpetuum inveniet, Generoso in Stemmate nomen.

Jo: Procter S. T. B.

Coll. Exon. Socius.

OXonienses, Angligenûm decus
Ingens, Camœnæ, Carminis arbitræ
Politioris, seu Latinas
Seu Patrias placet eruditè
Tractare chordas: ne vitio, precor,
Vestro Clienti vertite, si suos

Vestris petit miscere lessûs,
Sat pius, ut minùs arte pollens.
Uno meretur civium & hospitum
Plectro sonari Dux, patriæ suæ
Magnique Regis Sospitator,
Postgenitis memorandus olim.
Nil Parricidæ sacrilegâ manu
Non inquinârant, totaque jam propè
Tristem minabatur ruinam
Anglia, jure datura pœnas
Cæsi Parentis manibus; hanc sibi
Tyrannus audax, hanc sceleratior
Innoxiorum osor sacrorum
Perpetuam fore somniârat;
Jamque & cathedræ non sine gloriâ
Toto orbe notæ parciùs advenam
Ad se trahebant, ne venena
Se quoque corriperent timentem:
Cùm, qualis atras exoriens fugat
Phœbus tenebras, Rex CAROLUS suæ
Genti diem revexit almum
Redditus imperio paterno.
Sed nempe sensit quid sibi MONKII
Tunc profuisset robur & impiis
Infensa virtus, fracta nunquam
Arbitrio popularis auræ.
Jamque orbi ademtum sollicitudine
Non indecorâ prosequitur; palam,
Quantum sibi fortis placeret
In patriam pietas, professus.
Ite ergo Cives (Regia vos monent
Exempla) luctu ne sine publico
Efferte eum, qui publicam olim
Restituit patriæ salutem.

Nec

Nec vel Cedris vel parcite Marmori;
At deſtinatâ clade ſuperſtites
Per arma MONKIANA, quernis
Sandapilam redimite ſertis.

Bartholomæus Bredelo Regiomontanus Pruſſus,
A. M. in Univerſitate Lipſienſi, in hac Studioſus.

EN Tibi triſtem Capulum! Quid ultra
Quæris? Hæc condunt Monumenta MONKUM;
Nomen hoc longi fuerit roganti
Carminis inſtar.

Quid facit tantus Dolor? aut quid omnis
Funebris Pompæ Decor? Ipſe, ſi quid
Patria, aut Virtus, Pietaſve poſſit
Maxima, vivet.

Ingeni Culpâ maleſanus Ardor
Deterit Laudes, Capulumque fruſtra
Quiſque feſtinat celebrare multo
Carmine clarum.

Ipſe Livorem ſuperare novit:
Ipſe victuro ſibi Magnus Author,
Condidit Famæ Monumenta victo
Marmore firma.

Emori Reges vetat Hic; vetabunt
Hunc mori Reges: renovat Britannis
Gloriam Miles; dabit Huic perennes
Anglia Lauros.

N. Mewe S. T. B.
C. C. C. Socius.

ABſit Fœmineæ procul hinc Laſcivia Muſæ,
Umbra ſevera Ducis minimè patietur inermi
Carmine mulceri: Bellonæ buccina adeſto,
Sola Viri reſonare potes Myſteria Tanti.
Arma Virumque cano: felix Ænigma, quod Ætas
Vix capit aut præſens, aut forſan poſtera credet.
Claret Alexander Spoliis, & fulmine Belli,
At ſonti Huic rubuit Crudelis purpura Tergo.
Exultant Tria Regna Tuo ſine Cæde Triumpho,
Seriùs & tantum Tibi ſuccubuiſſe queruntur.
Sic ſolium CAROLO, populo ſic Fræna rebelli
Juraque concilias, Tibi & immortale Trophæum.
Perfida nec rabies Arcti, nec Sævior iſtâ
Zelus, nec Sceptri ſplendor potuêre, nec Ardor
Regnandi, violare fidem Dux Inclyte veſtram.
Neve ſilere tuas fas eſt, Devonia, Laudes,
Marte & Mercurio felix: at quid moror ultra?
En uterum dedit iſta Duci, ſimul ubera noſtro
Non memorant vel priſca parem, vel ſera priorem
Sêcla ferent; heu! vix pariet natura ſecundum.
Et tandem potuitne mori? vetuere Camœnæ:
Barbara terribilis coierunt Agmina Mortis;
Dux citò (More ſuo) torvè inſpicit, atque minatur:
Fata tremunt; at jam Famæ ſecurus, & Annis
Plenus abit, Divoſque petit, dignatur & umbras
Viſere Majorum: ſic Fati Victor obivit.
Aſtra ruunt frontem radio inſignire procaci;
Lambet in æternum Felicia Tempora Laurus,
Quique priùs CAROLI nunc eſt Jovis Ille ſatelles.

Geo: Bruton A. M.

Coll. Exon. Socius.

O Tu qui rectis Mundum moderaris habenis,
Expendisque æquis humanos lancibus actus,
Instrue nos cæcæ noctis caligine mersos,
Quodnam immane tuam Portentum criminis iram
Excivit, multoque armavit fulmine dextram?
Quod dirum facinus repetitâ clade luendum
Exegit, stragesque novas petit insuper addi?
WEntworthi nondum, aut LAudi placavimus umbras,
Suppliciumve Tui poscunt hoc CAROLE Manes?
Nam postquam in medio populi Civilis Enyo
Sævierat, forteſque Animas demessuit ensis
Alternus: postquam generoso sanguine pontus
Angligenûm imbutus, dives conceperat ostrum:
Quum Trojæ Gazas rabidus consumpserat Ignis,
Straverat & victrix surgentia culmina flamma:
Lurida dum pestis Leti Contagia spargens
Præcipitis, discurrit ovans per Rura per Urbes,
Plebis & incautæ Diti mactavit acervos,
Ut vacuæ steterint urbes, nuda arva, Colono;
Quorsum Arcus Pharetrasque Pater? cur spicula rursùs
Lethifero imponis nervo? cur grandine quercus
Dejicis, aëriasque ruunt tua fulmina cedros?
Occidis Proceres Augustâ stirpe STUARTI
Borboniæve satos excelso sanguine gentis.
Vulnus adhuc calidum est tulimus quod Morte MARIÆ,
Stat sanies, largisque hument modo fletibus ora;
Quum Ducis Armorum famâ super Æthera noti
Imperat Occubitus crudos renovare dolores.
Quinam etenim durus chalybem præcordia circùm,
Æsque triplex Ephyres indutus Pectora miles,
Quis sævus Libycæ nutritus lacte Leænæ,
Marpesi quis caute ferus, vel fluctibus ortus
Insanis, teneat lachrymas gemitumque profundum,
Accipiens cecidisse Virum, felicia Cujus

Signa sequebantur lætis Victoria pennis,
Captorumque Globus, longo post ordine currus;
Qui conjuratos Divûm convellere sceptra
Terrigenas domuit, rursusque immanibus ausis
Terruit anguipedes magni vel Nominis umbrâ?
Talia quis memorans nostræ dispendia sortis,
Crescentem & spoliis Libitinam & divite questu,
Manibus haud poterit tantis non solvere justa,
Singultus crebros planctusque ad busta ciendo?
Quin dolor ut par sit, vitæ numerare trophæa
Discendum est, fastosque suis signare triumphis.
Ut tenerâ ingentem Dextrâ comprenderit Hastam!
Ut sibi tum clypeos, rigidosque petiverit enses
Dum pariles pueri juncis & arundine ludunt!
Amphitryoniades sic gessit robora cunis,
Elisitque angues sinuosa volumina tergi
Tollentes, trifidæque minantes cuspide linguæ:
Infantem haud aliter mulcebant æra Tonantem.
Induit Hic sagulum, caligasque, & castra petivit,
Portavitque Aquilas (nec tum lanugo cadebat
Tondenti) Gallos CAROLO contra arma movente,
VIllarius, milesque Rheæ vidêre cruentum
Cædibus innumeris, quas Fraxinus intulit hosti:
TOirasius Galluque omnis videre ferentem
Exitium, hastiferæque cavebant Pondera dextræ.
Postea tùm primi defungens munere pili
Tutamen fuerat Batavis, ubi sensit Iberus
Laudavitque minor pugnâ tam fortia facta.
Interea optabat Batavus (dum victor ubique
Involat, æratâ perrumpens cuncta phalange)
Nescire æternum quantum metuendus ut Hostis!
Fulmineis nunquam contra nos intonet armis,
Oppida devastans flammis, & milite campos,
Classibus & Classes submergens æquore Ponti!

Surgen-

Surgentem, O! potiùs populum debellet Hybernum;
Vindicet impuræ ſcelerato ſanguine Gentis
Largitur exhauſto, quem profudêre cruorem
Angli barbarico fœdè mucrone perempti.
Cladibus attrivit poſtquam domuitque ſuperbas
Infrænis populi turmas, Hic ferre maniplos
Suppetias CAROLO curet, Quem in bella coegit
Gens infenſa Deo, ſceptroque maligna Britannûm:
Agminis ingentes Animæ comitentur euntem,
Et pœnè everſo ſatagant ſuccurrere Regno.
Dixerit hæc aliquis præſagâ mente futuri
Conſcius, aut cupiens Belgarum avertere fata:
Dixerit, at fruſtra: nam olim volventibus Annis
Poſtquam mille animas unus mactârit Hybernas,
Manibus Anglorum inferiis & cæde parentans:
Poſtquam pugnacis miſiſſet Pila cohortis
Regis in Auxilium: poſtquam ſuper ardua Caſtri
Fixerit Alati vexilla aſſueta Triumphis;
Fræna Caledonius poſtquam mordere coactus,
Inſeſſuſque ſuis (quem non potuêre volando
Exuperare Aquilæ) fuerit legionibus aſper
GRampius, & ſolidis ORcas devincta catenis:
MONKIUS immenſis Batavos ſucceſſibus auctos,
Tollenteſque animos, claſſis, quam Bœtis ad Indos
Mittebat, captis ſpoliis auroque ſuperbos
Heſperiæ, fuerat pulſurus ab Æquore toto;
Mattiacoſque truces & torvos fronte Sicambros
Intra obliqua Moſæ Rhenique tumentia fluctu
Oſtia clauſurus, pigras Yſalæque paludes,
Sævitiam Amboynæ ſtridentes ære catenas
Ferventeſque Rotas & tentum flumine guttur
Debuit ulciſci, pœnaſque expoſcere Bello.
Fragminibus laceræ reſtabant Æquora claſſis
Sternenda, & Batavo maculandus ſanguine Gurges;

TRompius, æqualem qui se jactabat in undis
Neptuno, perimendus erat; solamen ad umbras
Hoc referens, missâ cecidit quod glande carinis
MONKE Tuis, sceptrumque maris Tibi tradidit vni.
Talis eras spoliis victor tunc lætus opimis
Navalesque gerens lauros, quem TRompius imis
Manibus extollit, memorans Tua prælia ponto.
At mox quantus eris, superans sine vulnere Gentes
Armatas; LAmberti Alas, validosque maniplos,
Qui castris senuêre, fugans absque ense recluso:
Gorgoniumque caput populi (quem voce Senatum
Mendaci dixere leves) sine cæde revellens!
Extorri qui sceptra daret, solioque locaret
Justo vi pulsum Regem, sic sternere debet
Cautus iter, dextréque vagos mulcere tumultus.
Accersens CAROLUM viduata capessere regna,
Sic vastos memor es terræ componere fluctus.
Æolus interea, dum rex allabitur oris,
Frænatos tenuit discordes carcere ventos,
Neptunusque mari montes compressit aquarum.
Materiam ingentis cœpti fæliciter urges,
Imperiumque maris nullis nisi finibus orbis
Inclusum, aut nullo septum nisi littore mundi
Extremo, dederas Regi, pelagique tridentem
Addideras, lateri si non divulserat acres
Marte viros, MInium, SPragium, Roburque RUPERTI,
Mendax majorique tuæ Famæ invida Fama,
Tempore quo Æquoreis miscebas prælia campis,
Expendens Belgis metuendæ Carbasa Classis.
Hîc mihi quis referet celebris miracula pugnæ,
Quâ stetit insultus contra Prætoria Navis
Cunctos, despexitque globos quos Ære Tonanti
Hostica displosit rauco mage turba fragore,
Quam quum dilacerant excussa tonitrua nubem?

Illa

Illa Dies Classem atque Ratem concurrere vidit.
Inter mille necis formas, plumbique procellas
Vulnifici, mistasque undisque ignique Ruinas
Impavidus stabas, summa tum Puppe videndus:
Et sic perstares, modo rupto cardine mundi
Miscuerat fatum cœlos terrasque Profundo.
Tantus erat bellis: animos sic Ille periclis
Majores gessit, vitæ contemptor & hostis.
Tantus erat: quem si novissent sêcla priora,
Numine Gradivum templisque tholisque locassent.
Tantus erat: cui si parsisses, limina Jane
Dum reseras Anni, multâsses clade minori
Ferratas quanquam velles effringere Templi
Portas, adversumque Anglos nova Bella cieres.
Hujus in occasu lugemus Publica Regni
Funera, communesque Rogos, Fatumque Potentis
Imperii subito mutati in triste Cadaver:
Ducimus Exequias Gentis, Populumque Britannum
Efferimus, tumulo tantam dum condimus Umbram.

Jo. Fitz-william S. T. B.
Coll. Magd. Socius.

Aude Atlas, fortique tuos supponere nisu
Perge humeros; nusquam majori Numine pressus
Plaudebas Oneri, non cum gestaveris olim
Conspicuum Divis, ipsoque Tonante Senatum.
Divus, Io! incedens multo jam Sydere fulget
Heros MONNACHIUS quondam, & quos vertice summo
Attigerat Cœlos, jam Numen Calcibus urget.
Assurgit Michael Comiti, circumque salutat
Sacra Cohors, vocitatque Ducem, memoratque triumphos
Quos olim Batavi, meritique dedêre Britanni.
At longè ante alios ardens gressuque citato
Tendit in amplexus CAROLUS cum Conjuge Divus,

Et misto affectu Gnatumque Patremque vocantes,
Arctè confusi radios atque Oscula miscent;
Talia, quantum homini fas est, Dux Magne tulisti,
Cum Cæsar natale solum Populosque beavit
Aspectu augusto, atque Tibi Te digna rependit.
Jamque thronum Numen lætum conscendis in altum,
Semidei assistunt, factâ plauduntque Coronâ;
Infremuêre Poli, multum micat Ignibus Æther,
Itque fragor, qualis cum Jupiter intonat, aut cum
Te Duce cum Batavâ conflixerit Anglica Classis.

Joh. Bateman A. M.
Coll. Mert. Socius

COncidit Imperii Stator, Jovis æmulus Heros;
Maximus hinc Armis, Optimus inde Togâ.
Inscriptæ Fastis lachrymæ, fletusque perennes
Defuncti celebrent annua Justa Ducis:
Sic solvit gemitus Nilotica terra quotannis,
Amissum quærens plena dolore Deum.
Qualiter armatæ si fortè per æthera nubes
Dent pugnam, & vacuos irrita tela metus;
Prodigium magis est, quam Bellum; quippe fugaces
In nihilum facili lumine Phœbus agit:
Perculit attonitos ita fulgure Nominis hostes
Monkius, & vanas arma dedêre minas.
Palladium Teucri, Romani Ancilia jactent:
Majora Angliacis Georgius unus erat.
Nempe diu instabilis pelagoque erratica, tandem
Illius auspiciis Insula firma stetit.
Crede mihi, Tantos cineres Genti invidet orbis;
Tanti mors famam contulit ipsa novam.
Sic fruitur sacris urnis, luctuque superbo,
Dum crepat Indigenæ Creta sepulchra Jovis.

Jo. Curle A. M.
è Coll. Magd.

EN iterum mœsto pullata Academia vultu
Apparet, Lachrymæque ingenti flumine turgent!
Tristia sic Procerum densantur funera, Parcæ
Et spolia Heroum simul & Regalia jactant
Marmora, & illustri bacchantur sanguine Divi.
Non Generis Gentisve decus, non Gloria Palmæ,
Non gesta humanas vires superantia, nec jam
Vota valent, votis sed inexorabile Fatum.

Virtutem præclara dedit Gens Anglica, fovit
Flandria, tentavit teneris Leo Belgicus annis
Invictas vires, sensitque Batavia dextram.
Hunc reducem voluit langueſcens patria, solam
Illius auxilium nôrunt tria regna medelam.
Restituit Scotiæ bello zeloque furenti
Pacatum sanumque animum; quasi cœlitus illinc
Delapsus, rabidos nullo sperante subegit
Hostes, inde malis posuerunt Numina finem.
Mirum Huic vincendi genus est; non corpora tantum
Subjugat, en diras pariter sine vulnere mentes
Sternit, victrices nec gaudent sanguine dextræ.

Heu columen regni, Patriæ decus abstulit atrox
Fatum; sed monumenta mori nomenque superstes
Haud nôrunt, pietasque omni memorabilis ævo.
Noluit Hic cecidisse toro, quem tollere campus
Martius haud potuit, sed siccâ morte sedentis
In cathedrâ æthereas volitat mens celsa per auras
Cœlesti comitante choro, certante triumphos
Cœlicolis resonare suos, ibi sede beatâ
Fata locant, ac gesta æternis laudibus ornant.

Matth. Hole A. M.
Coll. Exon. Socius.

In OBITUM *Invictissimi* HEROIS

TAndem Heros jacet, & celebrandâ pace quieſcit,
Nec minùs Illuſtris quia ſiccâ morte recumbit:
Cujus fortem Animum timuerunt ipſa perîcla,
Nec potuêre Enſes aut non voluêre nocere.
Scilicet Illius Clypeo inſedêre triumphans
Juſtitia, & victrix Pietas; & Numina ſæpe
De Duce ſunt lætata ſuo, dum præbuit ille
Mirandâ virtute Deis Spectacula digna.
Illius quantum placeat meminiſſe Diei,
Cum reduci CAROLO crebros dedit Anglia plauſus,
Et Sylvæ, Villæque humiles, Urbeſque ſuperbæ,
Et clarum MONACHI reſonârunt Littora Nomen;
In gratum erupit cùm læta Academia Carmen,
Et prope damnatæ cecinerunt Otia Muſæ:
Cum ſiluit poſitâ Rabie Fanatica Turba,
Et, ſi non plauſit, cupiit plauſiſſe videri!
Cedant qui magnos Titulos, & Nomina jactant
Millibus à Cæſis, multoque à ſanguine fuſo;
Edere cùm potuit ſtrages, dirâque Phalange
Dux graſſari audax, malebat Marte Britannos
Vincere luctantes placido, & ſuperare videndo;
Mirandum Regem Solio ut Mirâcla referrent.
Proſpexit ſic ille ſibi, ſupereſſe volebat
Dum plures Oculos tanta in Spectacula, quantis
Non totus potuit Mundus ſatis eſſe tuendis.
Qui ſceptra & celſas novit donare Coronas,
Dic, Queîs non poſſit dici par eſſe Monarchis,
Solum Illo inferior dederat Cui Sceptra Thronumque?
Felix quem CAROLUM haud pudet agnoviſſe Patronum,
Et qui Regales habet in ſua Funera Fletus.
Felix quem nemo Britonum non luget ademptum,
Ni cui diſpliceat CAROLUM Regnumque valere.

Sam. Dugard A. M.
Coll. Trin. Socius.

Heu

HEu quantum neſcire modum, lachrymâque rebelli
Inſanire juvat, patriaſque excedere ripas,
Seu quondam Tiberis morituro emiſerat undam
Cæſare, & inſolitâ Romam perfudit arenâ!
Jam pene eſt doluiſſe nefas, infraque ſepulti
Virtutem, aſſertique poli, Regiſque relati.
Ne referam Arctoi funeſta pericula cœli;
Vincere per ſaniem per vulnera mille, juventæ eſt
Cunarumque labor, pudet hâc ex arte cruenti
Nominis, Hic nullâ fœdavit clade triumphos.
Non acies Batavûm, facieſve incerta profundi,
Armorumque dies, non concurrentibus undis
Horror inaſſuetæ lucis, noctiſque fugatæ
Suſtulit, at velut emenſus declivia cœli
Phœbus, in oceanum redivivo lumine vergit;
Sic poſtquam ſine nube polum tot fecerat annis,
Invidiâ ceſſit fatorum, & ſorte ſupremâ
Correptus, magnamque animam expiravit in undis.

Guil. Morehead A. M.
Nov. Coll. Socius.

QUid molle vulgus flebiles noſtro Duci
Violas, cupreſſus, atque languentes roſas,
Vultuſque miſero naufragos fletu datis?
Dentur puellis, virginum dentur rogis,
Tibi Dux cohortes præficæ, turmæ Tibi
Frangent ſonoras Martio luctu tubas.
Huc, huc tonitrua, fulgura, & quicquid polo
Minetur omni; ſentiant cœli virum,
Etiam fugatos qui daret reduces Deos.
Sed terra miſera eſt vindice amiſſo ſuo,
Et ſi valeret Delphicus fando Deus,
Quam nunc latentes mentis attonitæ notas

Sub hæsitantis redderet vocis metu,
Quid sit futurum posteris dubitans mali,
Cum MONKUS orbi eripitur, & Cretæ fides.

Joseph Cox LL. B.
è Nov. Coll.

TUrba incredula, pervicax, rebellis,
Quæ justum merito invides honorem,
(Semper scilicet invidi immerentes)
Nuper Cappadocem GEORGIUM ausa es
Nequam rodere dentibus profanis
Ex Albo Pugilum sacratiorum,
Nullâ ut Commemoratione dignum.
Quin, coram ecce GEORGIUM Britannum!
Quem Respublica corruens Statorem,
Quemque Ecclesia perditè impetita
Vesanis Legionibus Tuarum
Hinc inde Hæresium (altero Dracone)
Agnoscit pia Vindicem; atque semper
Agnoscet. Peream tamen, nisi unâ
Annorum decade alterâve lapsâ,
Frontem ferrea cogites quoque Ipsum,
Ipsum rodere dentibus profanis
Ex Albo Pugilum sacratiorum,
Nullâ ut commemoratione dignum.
Curet Posteritas; GEORGIUMque
Nostrum protegat à malignitate
Fracti nominis aut vel imminuti.
Cura, Posteritas, Tuam salutem,
MONKUM nempe loquor, Tuam salutem.

J. Elwes Eq. Aurat. fil.
Ex Au. Cerv.

Induat

INduat atratas iterum flens Anglia veſtes,
Et lachrymis immerſa ſuis natet Inſula, Regni
Dum fato quaſſante ſuo proſternitur Atlas,
Concutiturque gravi tellus horrore ruinæ.
Armorum Dux Magne Tibi Mavortius ardor
A puero, teneriſque ſtatim fulgebat ab annis
Fortunæ ſurgentis honos: primamque juventam
Terribilem in bello Galli novère cohortes,
Lilia purpureo pallentia ſanguine tinctæ.
Mox ubi maturas vires firmaverat ætas
Plenior, in Belgas Tua tela minacia vertis;
Inde vocant patriæ graviora perîcla ruentis,
Nec mora, præpetibus pennis fugis ocyor Euro,
Nutantemque Tuis humeris noſtrum objicis orbem.
Protinus Angliacam redivivo ſydere gentem
Irradias, Phœboque iterum ſua lumina reddis,
Depoſitaſque diu ſquallentes tradis habenas.
Te prohibent Tua geſta mori, truculenta coërcet
Fata redux CAROLUS, tria regnaque ſalva repellunt.
Aſtra petas, radiiſque iterum fulgentibus orbem
Angliacum illuſtres, Carolinoque addita plauſtro
Stella, velut terræ quondam, ſis gloria Cœli.

Rich. Duke Arm. fil. nat. max.
Coll. Exon. Socio-commenſ.

ANglia nunc alio triſtis de vulnere, credit
Fata tuliſſe ipſi quod voluere Duci.
In ſella moritur regno dum conſulit, inſtar
Cæſaris, ipſa domus quippe Senatus erat.
Invictus letho nolit ſuccumbere, cogunt,
Sternere quem nequeunt, fata ſedere virum.

Jo. Aubry Baronetti fil. unic.
Coll. Jeſu Socio-commenſ.

In OBITUM Invictissimi HEROIS

HEu quod, quam languens acceperat ante salutem,
Reddere non potuit patria MONKE Tibi!
Tanta Tui virtus, tam vota impensa Tuorum
Heu quod apud rigidam nil valuere stygem!
Quin aliter produxissent pia stamina Parcæ,
Et placidum Lachesis continuasset opus;
Nec Tua vita aliud nosset quam Fama sepulchrum;
Fama vel extremo non temeranda rogo.
Sed, quia fata volunt, succumbas, optime Princeps,
(Non alio poteras vincier hoste) neci.
En! belli Laurus insignia, pacis olivas,
Inserimus tumulo justa trophæa Tuo:
Et mœsti de Te canimus, vix ullibi Tantum
Vel civem experta est Aula, vel Arma Ducem.

Lan. Lake Equit. Aur. fil.
è Coll. Novo.

NUmina cum finxit sibi plurima cæca vetustas,
Mars Belli, at Pacis tum Deus alter erat;
Angligenis Mars unus erat qui munera Bella,
Munia qui Pacis rexerat unus erat.
Quod magè mireris, Gladios Mars Pace fugavit,
Belloque invictos obruit ille dolo.
Viribus infractos cedendo cedere cogens,
Hostibus obsequitur, dum premit ille, suis.
Mirum! victores vincit, dum jussa capessit;
Opprimit Ille hostes, hoste jubente, suos.
Frustra bellorum Rex munera sceptra petivit,
MONKIUS assensit, præmia Pacis erant.
Et licet hunc teneant Manes, tamen usque cavete
Turba Rebellantûm; vos dabit Umbra fugæ.

Johan. Ashburnam Baronetti fil. nat. max.
ex Aulâ B. Mariæ Virginis.
Cæsar

CÆsar Pompeio blandâ hâc miscetur in urnâ
Pharsaliæ totus magnanimusque cinis.
Herois nomen spirantia marmora condant,
Et molem famæ molliter ossa ferant.
Prospicit è Cœlo melior pars æquora nota,
Infestas Anglis sternit & illa rates.

Ferd. Wenman è Coll. Magd.
Eq. & Baronetti fil. nat. Max.

VIderat Oceano MONACHUM Neptunus in alto
Stare Ducem, & toti ponere jura Mari.
Viderat in Campis MONACHUM Mars ipse potentem
Stare Ducem, & cunctis ponere jura Viris.
Sic Victrice manu Pelagus Terrasque reliquit,
Ad Cœlum properans ponere jura Polo.

Herbertus Croft Coll. Magd.
Commensalis.

AH! quis dolori, quis lachrymis modus?
Invictus Heros occidit, occidit,
Fecere mortalem malorum
Heu toties repetita crambe.

Tantumnè nostrum commeruit scelus?
Gentis scelestæ grande piaculum est
Donatus Astris MONKUS, ingens
Præsidium Patriæ ruentis.

Qui solus Anglis monstra fugaverat,
Solus Britannos intulerat Deos,
Ausus Tyrannorum cohortem
Fundere Seque Deoque plenus.

In OBITUM Invictissimi HEROIS

Post lapsum in altâ pace decennium,
Dium reposcunt sydera MONKIUM,
Pacemque legatam Britannis,
Æthereâ excipiunt quiete.

Henricus Monck
Aulæ B. Mariæ Magd. Com.

SIccine quem toties vincentem fugit in armis,
Mors nudum fallax opprimit arte Ducem?
Nimirum indoluit, CAROLO redeunte, cruore
Tellurem nullo permaduisse sibi.
Tresque Tibi salvas, Dux invictissime, Gentes
Imputat, & medicâ vulnera clausa manu.
Hinc Pestem, hinc Phthisin, & raro victam Catalepsin,
Inque aciem Febres, Agmina longa, vocat.
Mox prædatrices emittit lurida turmas;
Multiplicique ruit turba profana lue.
Sed Tecum est bellare palam non ausa: Venenum
Attulit Ascites, perfida tela, suum.
Scilicet hoc furtim venis irrepsit; & inde
Creverat, ignotus menti animoque, tumor.
Quam bene Nos referet pereuntes undula, vera es
Si Bulla in mediis Tu quoque factus aquis!
Si quoties victor glomerato pulvere Solem
Eriperes, discas qualis & Ipse fores.
Ah! poteras tumidos belli componere fluctus
Civilis, tamen hinc Te brevis unda rapit!
Proh Cœlum Superosque! jubent temeraria Terras
Quam prope diluvio Fata perire novo!
Mors ea Romano signat labentia ritu
Tempora, quæ (pariter defluа) gutta notat.
Et tamen hora Tibi Dux inclyte longior esset,
Si de clepsydrâ sumeret illa Tuâ.

Sed

Sed prædæ memor abreptæ furit Illa, cadiſque
Quo ſpes Angligenis, Quo duce vita ſtetit.
Ergo lues quantum vulgata eſt nupera, quantum
Vel gravior Peſtis, turbida Seditio,
Tantum jam dolor eſt epidemicus; aut ſua tela
Longius, ad ſummos ſpargit acerba Deos.
Namque ubi diriperet ſacras Fanaticus Aras,
(Fervet enim, nec Lux illa Calore vacat.)
Muſarumque eſſet mox graſſaturus in Ædes,
(Scit fortunatum plectere Muſa Scelus.)
Tum Zelo & Facibus, Flammis nos MONKUS utriſque
Eripit, & binâ Pallade digna gerit.
Ah! ſatis hunc merito ploras Academia luctu!
Ille dedit ne ſis vel prior Ipſa cinis.

R. Peers A. B.
ex Æde Chriſti.

CAROLIDUM Vindex, Quæ Te nova Regna morantur,
Regna Satellitio conſtituenda Tuo?
Fecit Te indigetem, cùm Noſtrum fecit, Olympus;
(Parcite Cœlicolæ) Vix ibi Major erit.
Non MONKO Ingenium defecit Viribus impar,
In Dictatoris Munere Conſul erat.
Quos ſtupuêre Senes, Juvenis percalluit Aſtus,
Quæque Auſi Juvenes, præſtitit Ille Senex.
Sic Cunæ cepêre Virum, Maturior Ætas
Heroëm, Tantùm Mors negat eſſe Deum.
At nec Fata negant; & erit Deus Ille Britannis,
Cui tulit acceptos Anglia Utrumque Jovem.
Flevimus amiſſum CAROLUM, raptoſque Penates,
Rettulit Hic CAROLUM, rettulit ille Deum.

Sam. Ruſſell A. B.
è Coll. Magd.

ECquid tacetis languida sidera?
Nec scena Tanto prodroma Funeri
Præluſit, æternum supinos
Hinc manet opprobrium Cometas.
Te, MONKE, Quantum prodigium est mori?
Quos Tu Cometas, quæ mala sidera
Portendis Anglis, qui superstes
Nexus eras utriusque Mundi?
Tunc, cùm Tyrannos ausus eras novos,
Cromwelliani Dæmonis improbum
Phantasma, vincendi jocosâ
Arte, piâque fugare Fraude.
Cum MONKIANÆ Numina Dexteræ
Sensêre Gallique, & Batavi Truces,
Et sæva Hiernæ, & sæviora
Monstra Caledonii recessûs.
Quin obsoletum ne scelus exprobra,
Esse innocentes jam liceat Scotis;
Heroa Tantum rettulisse,
Quid sceleris nequit expiare?
Quæcunque nondum Vota poëtica
Excogitârant, Brutus Hic Anglicus,
Cromwellus Inversus peregit,
Jamque Atheos negat esse Cœlos.
Ille efficaci Numine promovens
(Ut Vox eodem Numine fertilis
Æterna Cœli Vox benignum
E nihilo reseravit omne,)
Dixit, recedit sanguineum Chaos,
Dixit, Britannis pax redit, & salus,
Et Causa Victrix, Quæ placere
Diis poterat simul & Catoni.
At post Biluſtre hoc nobilis Otii,
Auguſte Magni Conditor Imperî,

Fundare

Fundare quantum pergis Aſtrum?
Quos alibi meditaris Orbes?
Tu vel modeſtâ dandus Imagine
Unius ingens ſeculi eris labor,
Tunc juncta Cœlorum Poteſtas
Forte Tibi ſimilem refundet.

Guil. Ruſſell A. B.
è Coll. Magd.

ERgone nos damnant repetendo fata dolori,
Et refluæ lachrymæ lumina nota petunt?
Nullum credidimus poſt Te, MARIA, dolendum,
At luctum hæc poſſunt damna ciere novum.
Nam Regem vitamque ſuam, MONKE, Anglia debet,
Et Te jam ſolum poſſe dolere, Tibi.
Dignus cui auxilium medicina impenderit omne,
Sanâſti medicâ qui tria regna manu:
Dignus perpetuâ medicus florere juventâ,
Vel Phœbo ſimiles & numerare dies.
Sub veſtro didicit primùm manſueſcere ductu
Ipſo Aquilone ſuo durior antè Scotus.
Solus, per patrium cùm jam graſſata malorum
Agmine multiplici cincta ruina ſolum,
Auſus eras tantæ virtutem opponere turmæ,
Objicere armatis nudaque corda minis:
Viciſti, & magnis æquus fuit exitus auſis,
Atque ſtator nobis vel Jove major eras.
At non Oceano clauſa eſt, ceu patria, virtus,
Qui terris ponis regna, tueris aquis;
Caſtigas gentem (vel in Anglica regna) rebellem,
Ut magis ipſe ſuâ Belga palude tremat:
Viſus adhuc Batavos poteras terrere Leones,
Vix Galli vocem plus timet ipſe Leo.

Te referens Tethys, quaſcunque allabitur oras,
Geſtiat officio læta miniſtra ſuo.
Te victus Triton celebret, nomenque per orbem
In patulo ventus quilibet ore gerat.
Talis eras, qualem poſtquam reliqua agmina cedunt,
Morborum poterat vincere ſola phalanx.
At perimant alios quum ſpicula quælibet, in Te
Exhauſit pharetram Mors jaculata ſuam.

N. Jones
Ædis Chr. Alumnus.

IVit inacceſſis in famam MONKIUS auſis
Per titulos Sceptri, CAROLE magne, Tui.
Prima dedit turpata ſinûs, inhoneſtáque frontem,
Sævitiæ pœnas triſtis Ierna ſuæ.
Proxima vindiciis cœleſtibus acta Caledon
Damnavit ſacræ perfida jura ligæ.
Anglia quæ tanto non inficianda triumpho
Pars fieri potuit, maluit eſſe comes;
Et comes illa fuit, cum Te pacémque reduxit,
Binâque de Batavâ claſſe trophæa tulit.
Gallia reſtabat civiles paſſa furores,
Gallia pejori nata perire manu;
Sed neque, quæ Tecum potuit contendere ſola,
Sed precibus ſolis, CAROLE, Mater erat:
Ille ævi famæque ſatur, ſatur Ille laborum,
Arſit inextinctas lampadas igne pari.
Hactenus imperiis Domini tria regna ſubegi,
Debetur capiti quarta corona meo;
Dixit, & ut regnum poſſis ſpondere futurum,
Excipit illius conſcia fata ſedens.
Pone igitur paulùm, pone iſtos, optime Celta,
Quos malè diſſimulant Flandrica caſtra, metus.

Ne

Ne tibi, ne triplici descriptus in ordine frustra
  Vanus inassuetum navita tentet iter;
Ne tuus ignavâ miles statione locatus
  Horreat oppositi littora cana maris:
Indulsêre tuo clementia fata timori,
  MONKIUS imperium jam sibi majus habet.

Tho. Dawtrey Gen. Comm.
è Coll. D. Joan. Bapt.

CUm nec apud vivos poteras majora, nec esse
Uberiore inter mortales auctus honore;
Tanti erat abreptâ CAROLUM donâsse Coronâ,
Et plus quàm titulos meruisse in stemma Britannos:
Inter regales tandem, Dux inclyte, manes
Ostentas lætis facta immortalia bustis.
  Ara stat ad sacras Thamesis celeberrima ripas,
Templa ubi sunt priscis Heroum sancta sepulchris
Errantes animas Procerum condentia, Vates,
Et Genios, Musasque tegentia carmine notas,
Secretosque pios, his dantem jura EDOARDUM.
  Primus ibi antè omnes (si fas mihi pace silentûm
Pandere res altâ terrâ & caligine mersas)
Aëreis Tecum canas amplexibus umbras
Tertius HENRICUS, Dux Invictissime, miscet,
Et legum & magnæ lætatus vindice chartæ.
  Indè aperit tumulum tibi Lancastrensis ahenum,
Hic juvat eversos memorare utrinque tyrannos,
Illi Tu laudas concisum vulnere gibbum,
Ille subacta Tibi deformis monstra Senatûs.
  Mox ad pugnacis cineres delatus Elisæ
Belgarum recitas fusum certamine fastum,
Dum dolet infidis sponsam se virgo Batavis.
  At velut infernis Æneam excepit in umbris

Anchises rogitans de rebus plurima Teucris,
Et memor in Lethe de spe surgentis Juli;
JACOBO CAROLUM per Te regnare nepotem
Pacifico multùm gaudenti milite dices.

Johan. Jones A. B.
ex Æde Christi.

MONKIACOS luge manes, passisque capillis
Fle tibi sacratum Terra Britanna Ducem.
Hic à te tumulum & solennia justa requirit,
Et quam servavit nunc sibi poscit humum.
Hic tibi murus erat, Geniúsque, & Numinis instar:
Quanti constabit Numen habere novum!
Salve magne Heros, Hospes dignissime cœlis,
In quacunque poli parte recumbis ovans.
Seu Te deducat WArwici maximus Heros,
Et solio Gentis collocet ille suæ,
Et læti occurrant proceres de stirpe vetustâ,
Bellica quos virtus nobilitavit avos.
Sive ingentem Animam per vastum spargis Olympum,
Et se nunc toti misceat illa polo.
Seu Te jam CAROLUS totis amplectitur ulnis,
Aut teneat sacro Diva MARIA sinu.
Seu memorent vestris oppressam viribus Hydram,
Et plusquam Herculeâ monstra subacta manu.
Non face, non ferro, aut clavâ, omnipotentibus armis,
MONKIUS obscœnæ contudit ora feræ,
Oppressit monstrum, nec sanguine constitit unquam
Anglis palmarum fertilis illa seges.
Totus in amplexum seu currat nauta Britannus,
Et memorent strages victe Batave tuas,
Belgica quem toties referentem aplustria ponto
Disjectásque rates, horruit ipsa Thetis:

Quem

Quem cùm ſyderibus vidit Pagaſea propinquum,
Palluit, & vocem perdidit illa ſuam.
Quòd ſi Belga ferox maneat te tanta libido,
Aut placeat noſtrâ Galle perire manu,
Effigiem MONKI patriâ tollemus in orâ,
Deflectéſque memor vela Batave tua;
Auſpiciiſque Tuis, Dux Magne, movebimus Arma,
Veſtra etenim Gallos umbra fugare poteſt.
Te pia turba colat, Te navita ritè Britannus
Invocet, & miles debita juſta ferat.
Tu nobis ſtimulos addes in tela cruentos,
Inque hoſtes animos Tu dabis uſque novos.
A veſtro Tumulo Ducibus reſponſa petentur,
Præſidiúmque Anglis nominis horror erit.

Edw. Waple A. B.
Coll. D. Jo. Bapt. Socius.

DUm terras, quibus ipſe quietem ac otia fecit,
Deſerit ad ſuperas evectus MONKIUS auras,
Tota aliquod ſubito ſentit ſibi lumen abeſſe
Anglia, & effuſâ plorat ſua damna querelâ,
Tutano viduato ſuo. Quis patria jura
Defendet virtute pari, furialiaque auſa
Frænabit, Cujus curamque fidemque rebelles
Horrebunt, vel quo claſſem ducente Britannam
Belga audax Galluſve ſuis trepidabit in oris?
Vel nullos poſthac CAROLO da, Jupiter, hoſtes,
Vel ſimiles Huic redde Duces, qui tempora ſacra
Regali æternùm jubeant revireſcere lauro.
Nos Tantum quibus inferiis, quo munere Divum
Placemus grati? Cineri quos poſcit honores?
Præfica abeſto procul, gladiique haſtæque minaces
Concrepitent, ſolitâ incedant Mavortia pompâ

Agmina. Sic clavâ & Nemeæo vellere stratum
Conscendisse rogum fertur Tirynthius Heros:
Sic quoque Creta suum quondam tumulâsse Tonantem.
Vos autem miseras sistatis turba querelas,
Et venerabundi Regem spectate dolentem.
Ipsius meruit lachrymis hæc urna rigari;
Et CAROLI, & lachrymis orbati digna Gradivi.
Mox etiam vobis lugendi longa dabuntur
Secula, perpetuumque dolor ducetur in ævum.

Guil. Wall A. B.
è Coll. Reg.

SCilicet an moritur? Quis sic Deus invidet Anglis,
Ut festinatus Fulguris instar eat?
Quin frustra angusto retineris Magne sepulchro:
Ergò age Captivum redde Tyranne tuum.
Eja! ex Elysiis repetemus Carmine campis;
Sic petiit sponsam Thracius Ille suam.
Perfida non ausa est nisi quòd bene novit inermem
Mors unquam nostro bella movere Duci.
Venisses quando Arma tulit, servaverat Ense
Nostra vel à Vestro regna Tyranne jugo.
Attulit Huic mortem malefidus Aquaticus humor,
Ipsis occumbit, quas modo vicit, Aquis.
A Batavis retulit minimâ cum Classe triumphos;
Scilicet in Pugnâ doctus utrâque fuit.
Ille procellosi qui sustulit horrida Belli
Murmura, tranquillo tempore Pacis obit.
Ardua sic nimio Quercus percussa sereno est,
Quæ modo nimboso Turbine tuta fuit.
Errantes nigrâ periissent Nocte Britanni,
Ni dederat radios hæc Cynosura suos.

Reddebas

Reddebas Domino violatam Magne Coronam,
Quam Capiti poteras impoſuiſſe Tuo.
Sic Brutus Latium dominante Tyrannide Regnum
Liberat, at Titulum Regis habere negat.

R. Warren
Coll. D. Jo. Bapt. Socius.

INvida cum raperent MONKÆUM fata Britannis,
Extrema & magnum poſceret hora Ducem:
Non turpem lecti latebram, plumaſve petebat,
Aut poſuit molli languida membra toro;
At dirum erecto ſuſcepit pectore vulnus,
Nudatoque hauſit tela cruenta ſinu:
Qualis victrici ſublimis puppe ſedebat,
Et dabat Arctoo jura ſuperba mari;
Turbidus ut Batavo ſtagnaret ſanguine pontus,
Volveret & rubro gurgite Rhenus aquas.
Horrebat mors atra virum, trepidæque ſorores
Carpebant refugâ triſtia penſa manu:
Stat tamen infixum non ipſi occumbere morti;
Atque juvat Fatis ſic ſupereſſe ſuis.
Ergo triumphali ducantur funera luctu,
Accendat feſtos & Libitina rogos;
Pullati veniant Proceres, mœſtuſque Senatus,
Longævæ Matres, & pia turba Nurus:
Arma ferox Miles poſt terga inverſa remittat,
Lancea proſtratâ cuſpide ſignet humum;
Squallida funereo ſurdeſcat buccina panno,
Reddant ferales tympana rauca ſonos:
Quin Pompâ major ſuccedat CAROLUS omni,
Adſit & exequiis imperioſus amor.
ALBEMARLE Tuâ digna hæc ſunt funera vitâ;
Et ſunt hæc Fatis funera digna Tuis.

Carolus Morley ex Æde Chr.
Super. ord. Comm.

In OBITUM Invictissimi HEROIS

VIxisti victor, belli & Dux magne triumphus,
Marte Tuo & major visus es orbe Deus.
Intranti quondam populi furor iraque cessit,
In populum aspectus plus valet ense Tuus.
Nec satis in CAROLUM populi domuisse furores,
Pacatus cedat ni furor ipse maris.
Crescentem Galli rabiem, Batavique retundis,
Hic vires sentit, sentit & ille Tuas.
Obstupuit vestrum trepidus Leo Belga celeusma,
Ut galli cantu, territus iste Leo.
Te primum ut sentit Batavus, volat ocyor Euro;
Talia cum ventis prælia Xerxis erant.
Quòd poterat vicisse fugâ gens tota triumphat;
O quantum est magnum posse timere Ducem!
Post tanta emerito ne nil superesse putetur;
Et tantum ostendis posse perire Ducem.
Imperia emoriens CAROLO tranquilla relinquis,
Obsequiosa magis vix dedit ulla dies.
Post mundum edomitum cautus petis astra domanda,
Et cœlo imperium provehis usque Tuum.
Damnosas iterum timeas non Anglia stellas,
Navarcha Argoâ Dux tibi puppe sedet.

Dan. Hill
Ædis Christi Alumnus.

Ο δοιπόρος, πόδ' ἵςαθ';
Ορᾷς τ' ἄνδρα θεῖον,
(Εἰ Ανδρα δεῖ καλεῖσθαι)
Ορᾷς δὲ παμμέγιςον
Θεῶν πόθον, καὶ ἀνδρῶν;
Θανεῖν δοκεῖς τοσοῦτον;
Ορα θανόντα ΜΟΓΧΟΝ;
Καὶ συνθανόντας Αγγλους

Αἶ,

Αἴ, Αἴ, ἀπῆλθ', ἀπῆλθεν,
Ημῖν ἔλειπεν ὐδὲν,
Αρρήτον εἰ μὴ ἄλγος,
Θρήνυς τε, καὶ ὀδυρμός·
Αιωνιόντε δόξης
Φρένεσι μνῆμ' ἔγλυψε.
Ἅ Ἀηδόπυς σκυθρωπῆς,
Ἅ, τῶν τυχόντων ἀνδρῶν
Γόοισι μυριάσι
Γοθῶσιν οἱ Βρεττανοὶ
Ψυχὴν μίαν λυπρῶσαι;
Ἰὼ, Ἰὼ, θριαμβὺς
Ποίυς ἐν ὐρανοῖσιν
Αγεις, σεβασὲ ΜΟΓΧΕ,
Ος καὶ δέδωκας Αγγλοις
Αναίμονας θριαμβύς;
Ως Σοι πόλοιν ἐν ἀμφοῖν
Δόξη αἰεὶ ἀνηβᾷ;
(Σοὶ Δαίμονές Σοι ἄνδρες
Στήλην ποιῦσιν ἱερὰν,
Ης μὴ βάσις γῆ ὄστι,
(Γενναίῳ ἀνδρὶ πᾶσα
Γῆ εἰς τάφον καλαρκεῖ)
Ης πυραμὶς ὁ θεῖυς
Εις ὐρανὺς ἐκβαίνει·
Ὁδοιπόρος, τὰ πάντα
Ἐι μὴ λαβεῖν δυνήσῃ,
Θαύμαζε καὶ πίστευε.
Τὸ δ' ὑστέρημα δόξης
Ἄδωσιν οἱ ἐσόμενοι.

Carolus Robotham A. B.
è Coll. Magd.

In OBITUM *Invictissimi* HEROIS

SI quid defuncti valeat Musa addere famæ,
Dignum laude virum si vetet illa mori;
Effundet totas tibi Dux in funere vires,
Ipse licet cineri plus mereare Tuo.
Tu poteras quamvis ævi reparâsse dolores,
Damna dolenda magis jam Tua fata ferunt.
Undique dum patriam lacerant civilia bella,
Et quia non Regi, Regno inimicus eras,
Factus præda feris Cæsar Latronibus alter:
Sed similes ipsi tandem habuêre vices.
Nec tamen armorum strepitu dextrâque cruentâ,
Aut forti gaudes ense aperire viam:
Quæ Sphæras potius movet & cœlestia regna,
Nostra eadem vertit Musica & alta quies.
Quos alii horrebant Te sic timuêre Rebelles,
Visaque vis plusquam Regis inesse Tibi est.
Dumque Tuum mirè CAROLUM in sua regna reducis,
Gens Regem, debet Rex tria Regna Tibi.
Nec minus est Classem toties domuisse Batavam,
Cum tulit Angliacas per freta victa rates.
Pace domi nova bella gerens, cum vincere eadem
Ostendit Terras & Mare posse manus.
Ut primum ascendit spirans nova prælia navem,
Vincendi Batavos certa secuta cohors:
Cum Duce quisque solum simili mutavit amore,
Quo Gallum visens Aulicus ire solet.
Undique tam celebri in bello virtute, sequente
Jam primum tristi milite fecit iter.

Rob. Gold

Ædis Christi alumnus.

Quid

QUid Cœlis agitur? nova quæ portenta, relictis
Sedibus Infernis, Divûm convivia turbant?
Anne iterùm CAROLUS, poſt Fatum & ſidera, noſtris
Indiget auxiliis? bellúmne, alioſque tumultus
Jam ſuperos inter Cromwelli concitat umbra?
Quove fugis, columen regni? timet Anglia veſtra,
Nè tandem irati Manes, Umbræque rebelles,
Te pereunte, iterum moveantur, Trojaque lapſo
Palladio, antiquos conflata reſurgat in ignes.

Quid referam armati laudes, clypeoſque cruore
Sudantes? rigidas juvat hîc meminiſſe pruinas,
Atque hyemem, quâ Dux (Boreâ regnante per Arcton)
Hybernâ veluti nubes agitata procellâ,
Londinum tendit, populo dubitante pararet
Cui tacitos nimbos. Sic Dii quoque nube voluti
Cedunt: ſic tacitus deflagrat fortiùs ignis.

Jamque procul terris magna ſe mole tuetur,
Semideûm ingentes animas aſcriptaque Cœlo
Numina veſtigat, ſecum ſua fulmina portans
It Deus, & raptim propriam trajectus in Arcton
Emicat, atque iterum ſidus boreale refulget.
Angliaci, lugere nefas: tot bella peracta
Aſſiduè, Hos animos, Hæc geſta illuſtria turpant
Nænia & informes leſſus; quid claſſici adinſtar
Plorantûm vox fracta ſonat? quid præfica Manes
Victrices conducta juvat? Generoſior Heros
Vult lituo clangente mori, ponique ſepulchro
Victrix Umbra ſuo. Gladii tot ubique micantes
Vibrentur, tumulum tot circum ſpicula cingant,
Quot, CAROLO in patrios nuper redeunte penates,
Undique diffuſis oculos ſtrinxêre Britannis:
Sitque frequens funus, tacituſque in morte triumphus.

Car. Aldworth
è Coll. Magd.

Fact

FAta Ducis resonent tantâ jam voce Sclopeta
Funera quâ dederant mille Batava prius;
Plangere nempe solent pro Militibus Tormenta,
Castrorum Pugnæ est semper Imago dolor:
Sic Te Miles amat, nempe inter mille cohortes
Spirituum una intus Turma rebellis erat,
Et malè defecit propior Tuus ille Satelles,
Nec contra hos mœsti Militis ira valet.
Pompam Pyrrhychiis tristem sed saltibus ornet,
Hastáque demissâ cuspide verrat humum;
Murmura quæque adimit morientia tempore belli
Buccina, jam luctus & dabit ipsa suos:
Arma exuta altè attollat CAROLINAque Quercus,
Rege ipso, exuviis & bene digna Tuis;
Curva senexque Arbor sic his defensa Trophæis,
Horrebit ventos non Olivare tuos:
Nunc Hyemes audax stet contra; Aumarlia virtus
Sic canum exposuit Belgica ad arma Caput.
Dum Dux Magne cadis, Victoria libera ridet,
Nempe armis semper serviit illa Tuis:
Successorque Deæ CAROLUS nunc imperat Hæres,
Imperium hoc Illi das novus Ipse Pater.
Civibus attonitis Portas dum destruis Urbis,
Latior hinc CAROLO quàm patefacta via est!
Everti ut Portas jubeat malè provida Turba,
In quâ penderent Porta reperta fuit:
Admissosque Scotos nimium sensêre benignos,
Nempe urbi CAROLUS nunc & inemptus adest.
Quam dederas orbi tandem istâ pace fruaris,
Nostrum opus est Titulos commemorare Tuos.
Quanquam & contigerat nunquam Tibi vincere Gallos,
HENRICI, memores & facis esse Tui:
Cogis & invitos sese olim agnoscere victos,
Dum solvunt Titulos, digna tributa, Tuos.

Tho. Sandys A. B. ex Æde Ch.

GEORGII Ducis ALBEMARLIÆ.

MONKE Tuum eſt, CAROLUM ad ſedes rediiſſe paternas,
Quod magis eſt, CAROLUM ſic rediiſſe, Tuum eſt.
Antiqui Heroës fædabant ſanguine laurus,
Tu, nullo effuſo ſanguine Victor eras.
Hoſtes quos alii bello, Tu pace domâſti;
Sic ſuperare Tibi convenit atque Jovi.
Credo quòd ingratam ſuaſit prudentia mortem,
Virtutiſque impar nuncia fama Tuæ;
Ne ſi forte novas addat Victoria Palmas,
Temporibus ſeris Fabula, MONKE, fores.

Jo. Baron Gen. Com.

è Coll. D. Jo. Bapt.

HEroëm memoro, Arctois qui primus ab Oris
Angliacos adeo feliciter attigit agros.
Magnus erat Bello, nec Laudem Pace minorem
Vendicat, in meritam Lauruſque & Oliva Coronam
Conſpiranti abeunt nexu faſtuque ſuperbo,
Ornamenta velut tanti ambitioſa Patroni;
Dum magis in vilem ſpirant faſtidia frontem.
Sic indignantes plebeiæ germina ſylvæ
Pampineos vidi faſtus hederaſque ſequaces
Cingere, ſpernentes humiles circundare dumos;
Quod ſi fortè aliquis generoſâ Stirpe creatus
Occurrit truncus, ceu forſan cernimus ulmos,
Obvia ceu veniat præſtanti corpore Pinus,
Aut melior proles ſylvæ meliore parente
Nata, petens nubes fundenſque per aëra ramos,
Arripit amplexus, nec non ſine dote maritat.
Heroas non Roma ſuos, non uſque Triumphos
Jactet, & Actiacas revehentes Signa carinas:

Hectora ſola ſuum non jactet Troja, nec ipſum
Græcia Peliden; parilem nunc jactet Achillem,
Hectoraque oſtentet vel & ipſa Britannia noſtrum.
Hei mihi! ſed quantum, quantum nunc diſtat ab Illo
Hectore qualis erat; non formidabilis arma
Dextra aſſueta rotat, miſero captiva Sepulchro
Dextra vel illa jacet, portas quæ fortis ahenas
Sola dedit fragiles, poſuit quæ jura Profundo;
Quæ (Xerxes magnus jam non referatur & ingens,
Quique catenatum frænaverit Helleſpontum)
Subjugat Oceanum, pejores ſubjugat Æſtus
Ferventis populi, rabidas componit & Urbes.
Non tamen internas ibis niſi Victor ad umbras;
Ut Terris, ſic Axe mices! felicia nobis
Omina des alter Pollux, des uſque ſuperſtes
Ipſe tibi: Cæſar proprio ſic ſanguine Mortem
Purpuream amplexus, micat inter Sydera Cæſar.

Nicolaus Pikard A. B.
è Coll. Corp. Chr.

PRojiciat calamos, ſcindatque Thalia libellos,
Non capiunt nugas Dux Tua fata leves.
Surgat ab Elyſio Montroſſi ſpiritus ingens,
Exequiis ſolus par erit ille Tuis.
Quam bene fulminei fuerit ſtylus aptior Enſis,
Qui ſcribat Gladii facta ſtupenda Tui?
Scotia Montroſſum ſenſit Te fracta ſecundum,
Incaluit flammis Arctus & ipſa Tuis;
Proſcripti precium Regis fatale rependens,
Penſâſti innumeris vulnera vulneribus.
Sylva Caledonia eſt, quam Martyr, paſſa ſecurim,
Horrida deſertum tum propè ſylva fuit.
Talia ſint uſque infidæ commercia Turbæ,
Talia dum vendit, talia ſemper emat.

Hinc

Hinc tamen antidotum tuleras morientibus Anglis,
Sic reddit Chymiæ tuta aconita fides:
Arma dedit, Natumque reduxit milite eodem
Carnificis ferro qui dedit ante Patrem.
Sic quæ vipereo tumuerunt saucia dente,
Fota anguis trito corpore membra valent.
Extremâ à Scotiâ nostras ruis acris in oras,
Jamque citâ terror pennâ Aquilonis adest.
Arma quid ista velint Procerum stupet inscia turba,
At tibi mens alto pectore pressa latet.
Hinc Patriæ blandâ contrectas vulnera dextrâ,
Nec medicus venas durior ense secas:
Ægrotæ vigiles tenebris obducis ocellos,
Et furor hinc solito more repulsus abit.
Ruptus obit verbis Parlamentarius anguis,
Strinxisset caudâ qui tria regna suâ:
Inque sui amplexus CAROLI ruit Anglia sacros,
Ortaque mox proles, pax, pudor, atque fides.
At Tibi restituisse parùm Dux magne videtur,
Ni cumules palmis reddita sceptra Tuis.
Senserat Alciden nostro Leo Belgicus orbe,
Parciùs & sylvâ rugiit ille suâ:
Densa ratum Batavis toto natat æquore sylva,
Sed ruit illa frequens fulmine cæsa Tuo.
Navibus accensis sudat Neptunus in undis,
Xanthum Vulcanus terruit ipse minús.
Undique submersos bibit unda paludis amantes,
Incoluisse altum jam didicêre mare.
Tantus erat MONKUS, quem nunc mors invida tollis;
Consulis imperio quam malè stulta tuo?
Carpis avara unum, tamen Hic, ubi bella fuissent,
Subjiceret regno millia multa tuo.

G. Owen
Ædis Christi Alumnus.

ILlustres animas & fortia pectora nobis
Parciùs indulgent superi, citiusque reposcunt
Quæ dederint, cœlumque ad se nova sydera transfert.
Sollicitæne urgent vos anxia Numina curæ,
Ne Terra incedat dubii rivalis Olympi,
Indigetesque Deos Astris cœlestibus æquet?
Si labor hic tangit superos, ignoscimus Illis:
Dum tanti Dux noster erat, solusque videtur
Invidiam meruisse Deûm, nec dignior ullus
Quo magis insurgat moles hæc æmula Cœli.
Non serie demissa Ducum cunabula jactat,
Nec Magnos deducit Avos; sed luce sequenti
Præteritam illustrat sobolem, modicosque parentes
Nobilitat virtute suâ, seque Ipse superbit.
Post aliquot belli casus, cum Fama per orbem
Cœpisset celebrâsse Virum, vestigia clara
Pectoris immensi fulgent, animumque capacem
Imperii produnt, nascique à Principe dignum.
Jam tandem votisque suis CAROLIque rebelli
Par crescit Turbæ, at donec conatibus ingens
Cesserit eventus, moderamina scenica fallit
Ancipiti studio; jam despexisse Senatus
Posse putat CAROLUM, & tanto Rectore triumphat.
En! sic, cùm dubiis spirat Cortina cavernis
Ambiguas voces, Phœbas latitantia fata
Mente rapit, creditque animum callere Tonantis.
Mox, quo vix optâsse potest felicior, afflat
Successus, magnique licet properantia vota
Anticipat Fortuna Ducis; tunc intima mentis
Consilia, atque diu simulantia pectora prodit.
Illuxisse dies potuit quæ lætior, in quâ
Et sese, & CAROLUM mirantibus indicat Anglis?
Vir satus ad Bellum. Si velles, Anglia, vestrum
Perpetuò vixisse Ducem, nova prælia dentur;

Invenias

Invenias hoſtes alios, aut redde Batavos.
Incaluit Senium bellis, & marte refectus
Nullo animus miſerè torpens langueſcit, & Ille
Dignatur nullâ niſi Cœli pace potiri:
Maximum ubi poſitus tandem prope Numen, ita ipſos
Devincit ſuperos, ut, ni Tua CAROLE virtus
Tanta eſſet, quartam poſſit donare Coronam.

R. Tyrill
Coll. D. Joan. Bapt. Soc.

SIccine rivalis non ceſſeris Anglia Gallis,
Nec luctu & lachrymis tuleris nimis æmula vinci?
Quæ flendi ambitio luctu propiore ſuperbit,
Reginæ Heroas, mortique opponere mortem
Gaudens, & Regis Matrem penſare Parente?
Heu Victrix ſuperas malè Magna Britannia rixâ.
Nimirùm hoc CAROLI Cor Sphæram implevit, & orbem
Claſſi olim ſydus, vix auctâ luce, capeſſit;
Occupat Arctoaſque plagas, nautiſque benignum
Cœlorum tractum: (illi etenim datur optio Cœli.)
Omine iter fauſto victor Boreale relegit;
Notam ſedem implens CAROLI bene dirigit axem.
Integer Urſarum nunc primum abſolvitur ordo,
Lucentique pari tandem nova gloria ſurgit;
Stellam Angli, Belgæque feram, venerantur & horrent;
Terribilem victor pacem nam fecerat ipſam.
Jam poſtquàm bello expertus ſine fine fugacem,
Degeneri eluſus non credidit amplius hoſti;
Pertæſus vitæ quam pax inviſa premebat,
Sponte cadit, fati, ſenii, morbique triumphus,
Tantaque vel triplici mors ſufficit una trophæo.
Qui venti immotus rabiem contempſit & hoſtis,
Morboſo haud voluit longum torpere ſereno.

Intereà infidi ceu puppis pace profundi
Paulatim occultis absorbet hiatibus undas:
Sic rector Classis fato perit ipse Marino;
Stagnant intus aquæ venis, languore maligno
Torpescunt membris altæ pigræque paludes,
Quas nec grata agitat nuper bene nota procella,
Non imbres fluctusque movent; alta otia circùm
Illudunt Domino cultu malè sedula falso.
Ecce hydrops Medico ignaro contagia spargit;
Grassatur latè genti circumfluus humor:
Quilibet inflatum sese modo sentit, ocellus
In similes turget luctu prægnante tumores.
At quamvis fonti occultum malè perfidus hostis
Injecit belli contempto Jure venenum,
Quilibet excutiet deprensi semina morbi,
Dum flendi Antidotus sanos jubet esse piosque.

Geor. Walls A. B.
ex Æde Christi.

HUnc tumulum & tanti corpus venerabile Busti,
Pectoraque heu nimiùm duris exercita fatis;
Erepti Herois, votis cumulate supremis
Pullati proceres, & non ignobile vulgus.
Ille erat Indigenis defensor publicus Anglis,
Anglia non adeò tutatur Marmore, quamvis
Munit amatrices Neptuni fuscina ripas:
Et minùs aggeribus scopulosis Anglia septa est,
Quamvis offensi rumpant penetralia Ditis,
Et cano infíciant albatas vertice nubes.
Ille erat Angligenis cautes, fæcisque rebellis
Objecto insanos frangebat pectore fluctus,
Cum Mens candidior scopulis atque altior esset.
Vos igitur rupes questus geminate recentes

Hujus

Hujus ad inferias, erat Hic quoque Mænia vobis.
Plangite vos lymphæ fatum indignante ſuſurro,
Vicerat Halcyonas tranquillo pectore veſtras:
Hic CAROLUM & lucem nobis induxerat alter
Phoſphorus æternâ contentis nocte Britannis.
Arietat in Portas, vellitque à cardine poſtes
Fortis, Natales CAROLO introeunte penates.
Siccine Te tandem ſperato, Magne, triumpho,
Atque expectatis viduatum cerno Trophæis?
At Tibi ſollicitæ fatum diſpendia vitæ
Sarciet, infractæ referens palmaria pugnæ.
Et nunc exutus curis & carcere vitæ
Agmina derides quondam agglomerata malorum:
Jamque exantlatis tutus lætare procellis,
Anglorúmque memor conatibus annue noſtris
Ad veſtrum feſsâ ſerpentibus Arbore portum.

G. Layfield
Coll. D. Joan Bapt. Soc.

NOndum funereas extingue Britannia tædas,
Nec Tibi pullatas exue mœſta togas;
Inſula jam tota hæc lachrymoſis diffluat undis,
Congemat & Dominum Terra ſoluta ſuum.
Occidit heu! Belli fulmen, Mavortius Heros,
Qui Patriæ columen Deliciæque ſuæ:
Cujus vel nomen rara eſt gens extera quæ non
Contremuit, Parcis præda fit Ipſe tribus.
Anglorum Fabius, Dux invictiſſime, dici
Dignus eras, Cæſar ni mage dignus eras.

Morgan Randull Armiger. fil. nat. max.
è Coll. Wadh. Sup. ord. Com.

QUæ nova luxuries scelerum, planctusque voluptas
Convocat ad lachrymas oculos hucusque rubentes?
MONKIUS, ut Numen nè fortè Popellus adoret,
Se patitur jam posse mori, Magnusque minutos
In cineres properat; Sed qualis fulsit in armis,
Cum Mors pallidior solito non ausa videre est
Pugnantem, & fidos animantem voce Britannos:
Haud alitèr tremuit Marianæ ad fulmina frontis,
Atque oculos dirâ tunc Majestate verendos
Fugit pertimidus Syllæ fatique Satelles.
Effundant alii gemitus, doctaque querelas,
Nos etenim luctûs methodum nescimus & artem,
Quæ sacra Heroum pedibus violare profanis
Busta solet, quoties labor est studiumque dolere.
Nemo Duci nostro gemitu fletuve parentet,
Nè Fortuna suum Victorem rideat, olim
Quo semel irato nequiit defendere numen,
Cum nondum emeritos pulchrè prodegerit artus
Ob patriam, & medico Regalia vulnera ferro
Sanârit verus divino in Milite Civis.
Inclyte Dux, terrâ domuisti Monstra, marique
Egisti impositus Neptuni colla triumphos,
Submisit Nereus spumantiaque ora capistro,
Barbaraque excussit captivo pondera dorso.
Quot Tua fuderunt oracula Bellica quercus
Non alio, ut quondam, turgentes Numine? quantos
Mersisti populos, jam sospite Rege, sub undis?
Semper abhinc vives; Te posthuma fama citatis
Invexit cœlum pennis, ubi conscius Atlas
Sentit onus, talique premi se mole superbit.

Sam. Clarke A. B.
è Coll. Magd.

Heic

GEORGII Ducis ALBEMARLIÆ.

HEic late jacet Orbe major umbra,
Seris Syllaba Posteris tremenda,
Quâ se mallet & ipse Mars vocari.
Huc gressus trepidos ferat Batavus,
Si forsan poterit Suis quietem
Exorare: minatur Urna mundo;
Plures poscit adhuc Lapis Triumphos,
Novitque Hocce domare Marmor hostem.
Quantilla hæc! gemino Jovi propinquus,
Heic custos lateris sacri, superne
Divorum timor, assidet Tonanti.
Cui tandem Superis (& Ipsa Numen;)
Conscripto, tumidum ede Musa nomen:
Terris Fulmen erat, Polo receptum
Pulchrè dixeris inde Fulminantem.

Guil. Sowton A. B.
ex Aula S. Edm.

PRæreptum nobis ne jactet Gallia funus,
Neve Tuos cineres, Diva MARIA, crepet:
Ecce cadit tandem fatis nova victima MONKUS,
Et cineres ambit terra Britanna suos.
Inferias tantis dignas haud solveret umbris
Gens una, in tumulos nec satis una duos:
Exhausit nobis lachrymas gemitusque MARIA;
Et Tua qui celebrant funera, MONKE, stupent.

Rob. Burd Comm.
Coll. D. Jo. Bapt.

In OBITUM Invictissimi HEROIS

SI Mortem indomitam placaret Victima, Famam
Annis æqnaret, Dux, Tua Vita Tuam:
Servatus pro Te caderet populusque futurus,
Nec poteras Regno ni pereunte mori.
Parca tamen quicquid licuit Tibi præstitit æqua;
Te reducem nobis Tot fera bella dabant:
Occumbis teli nullius gloria; fati
Nec potuit Mavors arbiter esse Tui:
Hæc fuerint Pacis miracula, redditus Anglis
CAROLUS, & cupido redditus Ipse Polo.

Len. Nutt Eq. Aut. fil.
ex Æde Christi Commens. Gener.

INduat antiquos vultus mœsta Anglia, bella
Et redeat possit qui decuisse dolor;
Composuit quondam qui regna hæc mota, quiete
Bellorum renovat damna priora suâ.
Sic quæ veris opes floresque ostendit adesse,
Brumam instare suâ monstrat Hirundo fugâ.
Tu, Dux, Bella licet nequaquam arcere, labore
Quod mage sed poteras composuisse Tuo.
Tu non arma armis, neque bellis bella fugasti,
Sed regit ut belli prælia pace deus.
Patria terra Tui sed pars tantum una triumphi est;
Senserunt vestras arma Batava manus;
Fecisti ut fugeret medio modo in æquore lætus,
Contentus propriæ Belga paludis aquis.
Utque olim templis clypeosque hastasque deorum,
Cum prece victores se suaque arma dabant;
Te totum, post tot quæsita ex hoste trophæa,
Donasti, voto liberiore, Deo.

Jo. Jeames
Æd. Chr. Alumnus
Post

POst Monkum ſileat miracula Græcia mendax,
Hercule majorem terra Britanna tulit;
Monſtra maris Batavos, fanatica monſtra ſubegit,
Monſtra Senatores, monſtra Caledoniæ.
Pœnè mari pugnans Tormenti fulmine tactus,
Romuleo numen funere factus erat;
Sed nimia iſta fuit malefidis Gloria Belgis,
Mors ipſis Fatis tanta Triumphus erat.

Peregrinus Thiſtlewayte
Nov. Coll. Schol.

ANglia ſolve comas, threnum meditare, doleque
Aumalium cinerem, & meritâ pietate parenta
Relliquiis animæ, Tibi quæ concedere vitam
Vel poſtliminiò viſa eſt, ægræque ſalutem
Reſtituit, contraque dedit Se fata medelam.
Seu foret adverſâ Batavorum in claſſe petendus
Trompius, aut doctâ fuerit Cromwellius arte
Ludendus, Scoticæve plagæ nova fræna parentur,
Contendit quocunque vocant ſua fata; ſed ipſos
Sollicito interea ſub pectore concipit Anglos
Arctoaſque nives inter meditatur ut atræ
Gorgones Harpyiæque eſſent de gente fugatæ,
Priſtinus ut revocandus honos, ut (gloria gentis)
Antiquæ vigeant juſto ſub Principe leges;
Ut, mundi communis amor, ſua ſceptra capeſſat
Carolus, ut dirâ ſolvantur labe Britanni.
Laxantem glaciem & pellentem frigora brumæ
Non niſi nunc Boream perſenſit mitior Auſter;
Hinc prius extincto divini numinis igne,
Quæ contempta diu fuerant altaria, flammâ
Incaluere novâ, & ſacro jam thure litamus.

Sacratæ fædas ædes posuere ruinas,
Sacrilegasque manus veterum monumenta, dicavit
Quæ melior pietatis amor, fugêre, sibique
Relligio plausit quod non jam machina fraudis
Ulterius sit habenda, novæ deliria sectæ
Nec cogenda pati fuerit cujusque, nec ultra
Et Regi & Cœlo se opponat dira Phrenesis:
Cumque suum populi CAROLUM vidêre reductum,
(CAROLIDÛM Genium) Numen sensêre reversum,
Hactenus ipsa domi peregrina Britannia sese
Noscere jam cœpit, vultumque imitata priorem est.
Quin & sueta malis ridere pericula visa est
Auspiciis Dux freta tuis, seu provocet ensem
Regi gens inimica suis in finibus orta,
Sive Tuis olim Batavus qui cesserat armis
Nunc etiam feriendus erit, vel nominis horror
Dejicit oppositos, metuunt concurrere soli
Belgarum armatæ classes. Te numine cinctum
Horrebant Pestes, Flammæ timuere voraces.
Consilio & meritis demum feliciter orbe
Pacato, cœlo maturus sidera scandis,
Atque olim tibi nota petis consortia Divûm.
Ast ætas Te nostra colat, Te grata celebret
Posteritas, solisque minor sis Regibus Anglis.

Joan. Brasier S. T. B.
Coll. D. Joan. Bapt. Socius.

ANtiqua Heroum taceant exempla Poetæ,
Nec plus nostra suos Anglia jactet avos;
Major enim nobis exemplis omnibus unus
AUMERLUS, nullum viderat ante parem.
Ecquis enim vates, aut quæ monumenta laboris
Historici quæ non arma virosque strepant?

Scilicet

Scilicet obtritos hoſtes egiſſe triumpho,
Atque trophæa virùm cæde cruenta geri;
Omnibus hoc terris, atque omni tempore notum,
Heroum vulgus tanta caterva facit.
Quin age primores ex omni ſelige turbâ,
Qui dederant ortum quatuor imperiis.
Stat Leo Chaldæus, prodit tum Perſicus Urſus,
Tertius adjicitur Pardus ab Æmathiâ.
Quartaque ferratos armata eſt bellua dentes,
Romani generis bellua cornupeta.
Hos male Semones in numina verterat error,
Sed mavult dici pagina ſacra feras.
Quippe in crudeles humani ſanguinis hauſtus,
Et ſtrages monſtra hæc prævidet orta Deus.
Quæ poſtquam epoto viſuntur obeſa cruore,
Pinguior invidiæ victima cæſa cadunt.
Noſter victorum ſine cæde & ſanguine victor,
Fruſtra obluctantem conficit invidiam.
Nam gens Marte ferox, & verè ferrea proles,
E cœloque ſuum dejicere auſa Jovem,
Cogitur, ignivomi ſine miſſo fulmine belli,
Hujus ad aſpectum ponere tela Ducis.
Qui cœli auſpiciis, & famâ nominis uſus,
Armorum vires invidiæque domat:
Qui regem ſolio reducem firmavit avito,
Exutum templis reſtituitque Deum.
Aſtræam è cœlo revocabat ab orbe fugatam,
Reginâ inferni major avaritiâ.
Quid tale oſtentat vatum Rapſodia? tale
Græcia quid mendax audet in hiſtoria?
Jam cineres tenet urna pios, animamque beatam
Cœlum, victurum gloria nomen habet.

Hen. Denton A. M.
T Coll. Reg. Socius.

ERgo ſumma Dies, & ineluctabile fatum
Semideos rapiunt: modo regia funera mœſti
Flevimus, & magnis funeſtam cladibus Aulam;
Inſtaurat fortuna nefas, & vulnera plagis
Cruda novis onerat. Strictos qui tutus in enſes
Ibat, & ardenti volitantes turbine glandes
Securus belli, mediiſque illæſus in armis
Geſtabat nullo pectus violabile ferro:
Morborum inſidiis, & ſævæ vulnere pacis
Occidit, & poſitis jacet ALBEMARLIUS armis.
Quos titulos, quæ geſta canam, quis carminis ordo
Surget? Ad occiduas Armis gliſcentibus oras
Mittitur, audaces fera cum Juverna tumultus
Miſcuit, & longi movit tentamina belli.
Illic & cædes, & dira incendia jactat
Loyolæ ſoboles; rebus quæ docta novandis
Semper, & impuris divos obtendere cœptis.
Alma quidem tellus virus quodcunque beato
Expellit gremio, non illic luridus anguis
Sibila commiſcet, non telam texit Arachne,
Non Bufo, non Rana tumet, ſerpentibus ipſis
Innocui ſaltus, & mollior aura veneno eſt:
Nequicquam; Auſoniis veniat ſi vipera terris
Sævior, & latè diffundat Roma venenum.
Arma Ducem majora vocant, has Anglia flammas
Concipit infelix, odiiſque ingentibus ardet.
Advolat, & ſacras partes, & regia promptus
Caſtra ſequi, genios momentaque grandia ſecum
Laturus; ſed fata vetant, ingloria ſorti
Præda jacet, lætamque urbem captivus inermis
Ducitur, & multis potior victoria palmis
Unus erat; premitur ſervili dextera ferro
Fortis, & ignavæ membra exedêre catenæ,
Atque indigna fames, longuſque in carcere pedor.

Damna

Damna tamen graviora premunt; videt undique fractas
Inclinare acies, CAROLI que ruentia fata:
Quaſque videt patitur clades, dolet illud, inultas
Quod videt, immoriturque malis, & vulnere in omni
Ipſe perit; cæſi Regis ſuper omnia crimen
Horret, & ultrices magno ſtant pectore curę,
Vindictamque alit intus & altâ mente reponit.
Qualis ubi in Libycis leo fortè incautus arenis
Incidit in caſſes; paſtor gaudetque timetque,
Et prædam haud impunè videt: ſed ſiqua viam vis
Inveniat rumpatque plagas, ruit obvia quæque
Proſternens, longeque neces & vulnera ſpargit.

Talis erat cum damna furens & bella rependit
Scotica, & Arctoas latè conterruit oras,
Et patriæ vindex, & diri fœderis ultor.
Jamque Caledoniis excita eſt bellua Sylvis
Omnis, & extremæ truculentior incola Thules;
Aſpiceres hyemeſque inter gelidaſque pruinas
Ultrices regnare faces, & ſanguine fuſo
Purpureas caluiſſe nives, ſtupet omnia Scotus
Perfidus, & fruſtra noctem longaſque tenebras,
Ignotas fruſtra terras Thulenque requirit,
Extremo poſitus nequicquam in Limite mundi.

Majus opus moveo, premit ipſos dira rebelles
Seditio, & pœnas jam juſta repoſcit Erinnys,
Et ſua Terrigenas vexat diſcordia fratres.
Emicat Arctoi radians à cardine cœli
Immortale aſtrum & terræ Cynoſura Britannæ;
Hac duce & infames ſcopulos ventoſque ſonoros
Effugit, & populi graviores Anglia fluctus.
Quæ mentis divina acies, cum callida magnis
Conſiliis eluſa cohors, atque ardua ſemper
Reſponſa ediderat, dubiique Oracula Veri!
Illuxit multos longum meditata per annos

Jam fatis matura dies, ultusque Parentem,
Restituit Natum: triplicis non pectora tentant
Imperii illecebræ, non fallax purpura tangit,
Nec sibi se vicisse putat: quod sanguine multo
Criminibusque emerent alii, cum sceptra tenere,
Temporaque arreptâ poterat cinxisse coronâ;
Innocuas Laurus, & sacræ frondis honores
Maluit, & castâ frontem circundare olivâ.

Qualis erat cum jam Procerum comitante catervâ
Excepit reducem Rutupina ad littora Regem!
Plenus uterque Deo! charis astringitur ulnis
CAROLUS, amplexus miscens, & dulcia libans
Oscula, & arcanos adspirans intus amores.
Candida plaudebat niveis Victoria pennis
Nulla cæde madens; secura atque integra regna
Restituit, purasque illibatasque secures.

Nec satis est quod sceptra redux sua debeat istis
CAROLUS Auspiciis: studiis tutatur iisdem
Queis dederat, pacisque idem servator & auctor;
Commiscetque pares armatis laudibus artes.
Sic ubi sævorum Pallas post bella gigantum
Ægida deposuit, dilectæ ante omnia regna
Cecropiæ petit, & proprias tutatur olivas.

Necdum omnis tellus tanto satis ampla triumpho:
Nunc inge ns patet Oceanus, frameamque superbus
Submittit Mavors, & tu Neptune tridentem.
Æquoreos fasces & sceptri jura Britanni,
Et vasti maris imperium, quà flamina miscet
Æolus, aut late fluctus ciet Amphitrite,
Vindicat. Innumeris tabulatur classibus æquor,
Et procera altis descendit montibus ilex,
Pridem assueta notis, magnisque invicta procellis,
Servatrix terris pariter Tua CAROLE & undis:

Signa-

Signa illinc Batavum fluitabant cærula malis;
Hinc Anglæ rubuêre cruces, assibilat aura
Blandior, & pictas justo fert ordine puppes
Ponti viva quies; credas innare triumphos,
Et pompam non bella putes: supereminet omnes
Celsa Ducis magni puppis; non æqua micaret
Gloria, si stellata polo descenderet Argo
Plena Deis; non cum Venerem Neptunus adorat
Mollia purpureâ sulcantem cærula conchâ.
At subito horrendum diro Mars intonat ore,
Livida nitra vomens, piceæque volumina flammæ,
Sulphuraque, & cæcos ignes nigrantis Averni.
Quà ruit, effractæque trabes & robora vastis
Dissiliunt quassata globis, truncataque membra
Semineceſque artus cœlo jactantur inani.
Horrida turbatum tempestas miscuit æquor,
Sævior indomitoque mari cunctisque procellis
Ira virûm: mediis regnat Vulcanus in undis
Victor, & attonitæ metuunt nova fulmina quercus.
Obstupuit dux ipse Erebi, tantasque ruinas
Eumenides spectare negant, magis horrida Phorcus
Monstra timet, Nereusque udâ caput occulit algâ.
Tempestas vix tanta premet, cum magna fatiscet
Cœlorum moles, & terris mista coibunt
Sidera, & immensi labetur machina mundi.
Jamque ter attonitum cursu Sol circuit orbem,
Sæpe acturus equos retrò, totiesque tenebras
Rexerat, & tremulâ pallebat Cynthia luce;
Fortior instaurat pugnam, Martemque lacessit.
Mene ait hostili captivum cernet in orâ
Rhenus ovans, mortemque timens conterrita Belgis
Devictis toties ostendet terga Britannus?
Ante ego sulphurei laniatus pulveris ictu
Membra polo semiusta feram, discerptus ubique

Colligar, atque omni jaceam divisus in orâ.
At Batavi, quanquam auxiliis & classe potentes;
Diffugiunt; numero major, Virtutibus impar
Hostis erant; fractasque rates, sparsæque legentes
Relliquias classis pavidi sua littora quærunt:
Jam furor & multi rabies vesana Lyæi
Cesserat, & pugnâ deferbuit ebria Virtus.
Jamque redit cunctis Dux insuperabilis armis
Telluris pelagique potens, exercitus omni
Et major fato, magnis cui facta periclis
Pacis iniqua quies, armato sævior hoste.
Dira lues miseras ventis invecta per urbes
Camposque grassata furit; vitalibus auris
Immiscet Libitina neces, & lurida toto
Excipitur pestis gremio, vitæque fatiscunt
Spiramenta, animæque fluunt in fonte venena:
Improba nec lentè spargit contagia, passu
Sed propero ruit, & tota agmine falce cruentâ
Demetit, atque omnis jacet uno in funere vulgus.
Sola medela fuga est; at longè finibus arcent
Damnatam morti plebem, manesque silentes
Pallentesque errant miseris pro civibus umbræ.
Ille tamen (quanquam nulla duci nec tela nec enses
Profuerint, quanquam obstantes simul undique ruptis
Obicibus prosternat inaspectabilis hostis)
Stat medias inter strages, & publica pensans
Damna suis, tutosque omnes discrimine in uno
Esse jubens, lapsis affert solatia rebus.
Quinetiam miseram renovata pericula gentem
Sollicitant ultra, & lassatam cladibus urgent.
Urbs antiqua viris, sacro si carmine Bardi
Vera canant, nimium cognatæque æmula Troiæ,
Quam modo dira lues fatali torruit igne,
Nunc æstu graviore cadit; per compita latè

Fax

Fax inimica volat, ventoque agitata furenti
Volvitur, & rapidæ jactat contagia flammæ.
Mulciber ignito super alta cacumina curru
Perque arces equitat summas, petit astra superbus
Vertice, sidereæque ruunt in Tartara turres.
Extimuit cœli vicinas regia flammas,
Communesque rogos, & magni funera mundi.
Non ita Sicaniæ ruptis fornacibus Ætnæ
In superos nova bella movet, cœloque minatur
Enceladus, quoties liquefactum sulphure montem
Evomuit, flammasque Jovi & sua tela retorquet:
Æra ruunt latè campis, liquidique metalli
Flumina, & exundant flammæ torrentibus arva,
Et Siculum rutilis ardescit fluctibus æquor.
Nec memor usque sui tardove incedere passu
Lemnius, aut rapidos voluit cohibere furores,
Tutela afflictæ donec certissima gentis
Præstaret MONKÆUS opem, fomenta voraci
Subjiciens flammæ, nitrataque sulphura tectis
Immiscens, ipsis restinxerat ignibus ignes.
"O miseros nimium cives, quibus ipsa ruina
"Visa salus; juvat & sparsos habuisse penates!
Interea innumeris exhausta Britannia damnis
Agnoscit superos, pestesque, & dira venena:
Bella ignesque inter MONKÆUM appendere fortem
Nil dubitat, fruiturque malis sub vindice tanto.
Hoc tamen, O superi! facinus licuisse Britannis
Conquerimur fatis. Miseris proh sidera semper
Aspera, & infensi nimis inclementia cœli!
Ingens occubuit patriæ Servator & Ultor;
Occidit ipsa salus: nunc ultima vulnera genti
Parca dedit, pœnasque omnes absolvit in unâ.

Felix æternum meruit qui nomen in armis,
Et niveam nullo maculavit crimine pacem.
Felix cui licuit fudisse novissima verba
Principis in gremio: dextrâ sed & Ille labantes
Compressit morienti oculos, animamque recepit;
Prosequiturque pio properantem ad sidera planctu.
Interea Regum moles sacrata sepulchris
Deposcit magnos cineres, felicibus Urnis
Assurgunt Augusta cohors: tumulumque parantes
Certant officiis: HENRICUS conditor arcis,
ARTURII EDVARDIque & cætera turba nepotum.
Quinetiam Virgo blandè gratatur ELIZA,
Arbiter & sanctæ pacis Steuartius heros
JACOBUS, nullo reticendus carmine Vatum.
Ipse etiam charas, cum longum exegerit ævum,
CAROLUS exuvias juxta, Dux magne, recumbet.
Jam non longa dies, rapidique injuria cœli,
Non Aquilo, aut cunctis rabies Fanatica Ventis
Sævior, Augusti temerabit jura sepulchri.

Ph. Fell S. T. B.
Coll. Om. An. Socius.

FINIS.

289383